6 1. Quare etsi hodiè sit Oratorium, cras poterit fieri camera cùm non sit locus Deo dicatus, secundum Host. *hic* & Joan. Andr. *n.* 2. Undè in hujusmodi Oratoriis non possunt publicè teneri ac pulsari Campanæ, *c. Patentibus infra de privilegiis*, nec gaudent immunitate Ecclesiæ ut contra Goffredum notat Host. *hic num.* 2. *vers. Et quamvis Goffredus*, Joan. Andr. *eod. num.* Abb. *num.* 4. & scripsi plenius in *c.*
7 *Ecclesiæ num. infra de immunit. Eccles.* & infra subjiciam *n.* 14. & 15. Nec hic licitum est Missas celebrare, ut in juribus proximè citatis. Dixit tamen Innoc. & post eum Host. *hic num.* 4. & Joan. Andr. *eodem num.* posse in eis quandòque celebrari de licentia Episnopi qui tamen non debet eam concedere in magnis festivitatibus, *c. Clericos & c. Si quis*
8 *extra parochiae, de consecr. dist.* 1. Quin imò fatetur idem Innocentius hic post medium quòd si hi quorum sunt Oratoria, non teneant ea honestè, nec faciant ibi celebrari poterit Episcopus ea destruere, *c. Omnes, il. primo & c. seq. de consecrat. dist.* 1. Sed hoc verum putant Host. *num.* 2. *propè fin. vers. hoc intelligas* & Joan. Andr. *n.* 3. *vers. quod verum putat*; dummodò fuerint dedicata & autoritate Pontificis ædificata ad celebrandum, aliàs contra ut dictum est suprà.
9 Verùm quoad celebrationem Missæ post Concilium Trident. hæc non procedunt ut dixi *in c. In his, de privileg.* & infra subjiciam *n.* 17. & *seq.*

10 Ulteriùs. Quæro utrum in vim Bullæ Cruciatæ Commissarius impertiri possit licentiam celebrandi Missam in Oratoriis ab Ordinario visitandis & approbandis, an verò hæc facultas sit Sedi Apostolicæ reservata?

11 Pro solutione primò supponenda est distinctio inter publica & domestica Oratoria; publica enim non possunt construi sine autoritate Episcopi. Concilium Calcedon. *can.* 4.
12 relatum *in c. Quidem* 18. *quæst.* 2. Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere Monasteria ac Oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi. Quod est etiam de Jure Civili ut in Auth. *Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi*, & ut deputet priùs, quæ circa decentiam & statum in fabricando Oratoria sufficiant. Et in nigro? Sancimus nulli licentiam esse neque Ecclesiam neque Orationis domum incipere ædificare, antequam Deo amabilis
13 Episcopus Crucem figat. At in domesticis autoritas Episcopi non requiritur, Concil. Aurelian. *c.* 3 relatum *in cap. Unicuique de conserat. dist.* Unicuique fidelium in domo sua Oratorium licet habere & hic orare.

Hanc primam differentiam ponit Cardin. Zabarella *cons.* 11. *Pro enucleatione*, & Lapus *allegat.* 41. *Quæritur de tribus n.* 2. Butr. *cons.* 19. *Quia hic agitur, n.* 19. Quintil. Mandos. *in reg. de Annal. quæst.* 17. *num.* 9. *vers. Oratorio aliqui in duo genera dividunt.* Hinc resultat secunda differentia, nam publicum est Ecclesiasticum, domesticum verò profanum: Ideòque illud potest visitari ab Episcopo Innocentius & Doctores hic; domesticum non potest ut hic est casus, secundum ea quæ dixi suprà in 1. *notab.* In illo licet habere campanas, *c. Nimis iniqua de excess. Prælator.* secùs in hoc *c. Patentibus de privileg.* ubi de Templariis & Hospitalariis, Butr. *d. cons.* 19. *num.* 19. Illa gaudent immunitate hæc non, Paulus de Castro *cons.* 167. *Præsupposita n.*
14 4. *lib.* 2. Romanus latè *cons.* 477. *in casu proposito nu.* 2. & *seq.* & dictum est suprà *n.* 6.

15 Demùm in illis etiam de Jure Communi poterat celebrari exceptis majoribus solemnitatibus, Concilium Agath. *c.* 2. *c. Si quis, de consecrat. dist.* 1. Si quis in agro Oratorium habere voluerit ut hic Missas audiat permittimus, Pascha verò, Natali Domini nonnisi in civitatibus sive parochiis audiant & patet ex dictis suprà *n.* 7.

16 Contra in domesticis dicto Concil. Aurelian. (Unicuique fidelium in domo sua Oratorium licet habere & hic orare.) Missas autem ibi celebrare non licet. De quo habetur alius titulus in Auth. (ut in privatis domibus sacra Misteria non fiant,) & in nigro: (Interdicimus omnibus in domibus suis habere quasdam quasi Orationum domos & in his sacra celebrare Misteria, sed solius Orationis gratia hoc eis permittimus.)

17 Hanc differentiam clarè constituit Trident. Concilium *c. unico sess.* 22. *de observ. & evit.* ibi: *Neve patiantur privatis in domibus & omninò extra Ecclesias & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab Episcopis visitanda & approbanda sacrificium Missæ peragi*: ibi enim Concilium duo facit; primò vetat Missam celebrari privatis in domibus; deindè similiter vetat ne id fiat in locis quæ sunt omninò extra Ecclesiam & extra Oratoria ad divinum tantùm cultum dedicata ab Ordinario designanda & visitanda. Ex quibus colligitur Concilium agnovisse hanc differentiam inter Oratoria domestica & publica, & domestica esse illa quæ aut sunt in privatis domibus aut extra Ecclesiam seu extra Oratoria dedicata ad Cultum Divinum & in his absolutè prohibuisse Missæ sacrificium fieri etiam Episcopo permittente, & in hoc sublatam esse antiquam Canonistarum altercationem; Publica verò esse illa, quæ extra privatas domos ad divinum tantùm cultum sunt dedicata & designata ab Ordinario, id
18 est Ordinarii autoritate constructa de quibus per Cardin. *dict. cons.* 11. *num.* 5. *in fin. vers. Et pro prædictis.* Et in his permisisse Missas celebrari prævia tamen visitatione seu approbatione Ordinarii.

Porrò quoad Oratoria domestica Sacra Congregatio aliàs
19 consulta, utrùm Episcopus attento, Concilii Tridentini Decreto, in Oratoriis existentibus in domibus privatorum celebrandi Missas licentiam ex causa concedere possit, censuit non posse, sed hanc licentiam petendam esse à Sede Apostolica, pro ut post Concilium Tridentinum hactenùs observatum est. Et propterea jussu Pauli V. me Secretario, dedit litteras circulares ad universos Episcopos, quibus declaravit hanc facultatem illis non competere; eisque injunxit ut si quas licentias à se ipsis vel à suis antecessoribus concessas reperissent, nullas & irritas decernerent. Item cùm dubitatum esset an in domo
20 Principis posset Missa celebrari quasi non veniat appellatione domûs privatæ, sic etiam de Arcibus & Palatiis Baronum ubi exercent jurisdictionem, Sacra Congregatio respondit comprehendi dicto Decreto Concilii hujusmodi loca. Et cùm
21 Cardinalis Legatus Portugalliæ petiisset ut posset concedere licentiam celebrandi Missam in domo privata decenter accommodata, cùm infirmus aliquis pro viatico debet communicari; & hoc quia in illis Regionibus sunt multa loca adeò dispersa & remota à Parochiis, ut non sine maximo incommodo possit Eucharistiæ Sacramentum circumferri, Sacra Congregatio respondit non esse concedendum. Quin etiam cum Agnesia &
22 Teresia de Cusman dubitassent an indultum audiendi Missas in propria earum domo sibi per Paulum III. concessum, per Concilium fuisset sublatum, Sacra Congregatio censuit esse sublatum, concessit eis tamen ut Missas in illa domo audirent in Oratorio tantùm ab Ordinario approbando. Atque ita ejusmodi licentiæ celebrandi in Oratoriis domesticis consueverunt
23 olim obtineri ab eadem Congregatione Concilii in qua etiam stabilitæ fuerunt conditiones & à Sanctissimo approbatæ, quibus illæ deinceps essent concedendæ, nempè.

Primò ut Oratorium constituatur in loco decenti & clauso; visiteturque & approbetur ab Ordinario.

Secundò ut facultas hæc non concedatur nisi viris aut fœminis primariis morbo aut alia causa impeditis ne ad Ecclesiam accedant.

Tertiò in die Paschatis teneatur is cui conceditur adire Parochialem Ecclesiam.

Quartò ut id concedatur sine præjudicio jurium Parochialium.

Quintò, ut qui ibidem Missas audierint, non liberentur ab obligatione accedendi diebus de præcepto ad Ecclesiam pro Missis audiendis præter eos famulos & famulas tantùm qui servitio Domini cui facultas conceditur, fuerint necessarii.

Quibus de Mandato Pauli V. aliæ etiam conditiones fuerunt adjectæ in Congregatione Oratoriorum.

At verò de Oratoriis publicis Sacra Congregatio sæpiùs 23
declaravit esse in facultate Episcopi ubi illa visitaverit, ac Divino cultui peragendo apta ac decentia esse compererit, licentiam impertiri ut in eis Sacrosanctum Missæ Sacrificium 24
celebrari valeat. Et Oratoria publica censuit esse cùm habent ostium quod immediatè respondet in viam publicam & nullum habent aditum vel prospectum à loco privato, etiamsi in privato solo constructa sint aut parietes habeant cum ædibus privatorum communes. Item publica censuit esse illa quæ in locis
publicis constructa reperiuntur, veluti in Monasteriis & 25
Hospitalibus Ecclesiasticis, licèt quoad Monasteria Monialium Congregatio ipsa hanc licentiam aliquandò impertita fuerit pro Oratorio in eorum Infirmaria constructo cum clausulis, *dummodò Oratorium visitetur & approbetur ab Ordinario; &* 26
ita construatur ut separatum à loco Infirmariæ & clausum maneat nec aperiatur nisi quandò Missa hic erit celebranda & arbitrio Ordinarii sic optetur, ut Moniales infirmæ possint videre & audire Missam eo duntaxat die quo Sacram Eucharistiam sumere voluerint. His positis, quidquid contra senserit
27 Ludovicus Lopez *in suo Instructorio c.* 6. *de Bull.* videtur respondendum Cruciatam dum dat facultatem celebrandi in Oratoriis etiam tempore interdicti, nequaquam esse intelligendam de Oratoriis domesticis.

Primò, quia etsi loquatur de Oratoriis privatis, hæc tamen qualificat per verba illa *ad Divinum tantùm cultum dedicatis*, quæ quidem qualitas minimè congruit Oratoriis domesticis quæ sunt omninò profana; & hodiè sunt Oratoria, cras camera, Glossa in Clem. *Quia contingit*, *in verb. Altare*, *de relig. domib.* Cardin. *d. cons.* 11. *n.* 12. Paul. de Castro *cons.* 167. *Præsupposita*, *in fin. lib.* 2. Roman. *cons.* 477. *In casu proposito*, *num.* 5. & dictum est suprà *n.* 6. Sed congruit tantùm Oratoriis publicis, quæ sacris Ministeriis dedicantur autoritate Episcopi, nam locus quilibet consecratus divino obsequio est Sanctum Sanctorum Domino, *cap. Nulli* 12. *q.* 2. *cap. Mancipio*, *de rer. permut.* quæ Jura ad propositum nostrum adducit Card. *d. cons.* 11. *in princ. n.* 1. *vers.*

Primo quidem. Qualia sunt Oratoria Hospitalium, & Confraternitatum, *cap. Ad hæc*, *de religiosis domibus*, *c. Quidam*, 18. *q.* 2. *cap. Nemo de consecr. dist.* 1. Lapus *d. allег.* 41. Calder. *cons.* 352. *An Episcopus*, *aliàs* 23. *de testam.* Neque verò huic interpretationi repugnant verba illa Bullæ, *In privatis Oratoriis*; nam quamvis Oratoria dicata ad divinum cultum verè dicantur publica, si considerentur ad differentiam illorum, quæ quilibet privatus sine Episcopi autoritate sibi construit intra domesticos parietes; tamen appellari possunt privata, si considerentur ad differentiam Ecclesiarum, à quibus differunt, quia Ecclesiæ dotantur, non Oratoria, ut per Cardin. *eod. cons.* 11. *num.* 10. Anton. de Butr. *dict. cons.* 19. *n.* 19. Rota *decis.* 508. *part.* 1. *diversi.* Covarr. *in cap. Alma Mater*, *in* 2. *part. relect.* §. 4. *n.* 2. Et fusè declarat Quintilianus Mandosius *in reg. de Annali quæst.* 17. *n.* 7. & *seq.* & constat ex dictis suprà *in* 1. *quæst. num.* 5. Undè cùm privatum Oratorium secundum latitudinem vocabuli dicatur omne quod non est Ecclesia, sive illud sit in se publicum, sive domesticum; secundum Mandos. *d. n.* 7. Bulla addendo illa verba, *Ad divinum tantùm cultum dedicatis*, satis declaravit se non intellexisse de privatis, prout contrà distinguuntur à publicis, sed de privatis, prout contrà distinguuntur ab Ecclesia. Nam talia sunt subjecta, qua-
28 lia prædicta demonstrant, *l. Qui vinum*, *ff. de vin. trit. & oleo legat.* Oldrad. *cons.* 80. incipien. *Talia sunt subjecta*, Anchar. *cons.* 65. *Pro clariori n.* 5.

29 Et confirmatur ponderando subsequentia verba Bullæ: Ab Ordinario visitandis & approbandis, quæ similiter non applicantur nisi publicis: nam publica tantùm possunt visitari, secùs domestica, ut in hoc cap. & dixi suprà in 1. *notab.*

Observandum est etiam Bullam hac in parte loqui per eademmet verba, quibus loquitur Concilium *in d.* §. *Neque patiantur.* Sed decretum Concilii in illis verbis, *Ad divinum tantùm cultum*, *&c.* non habet locum nisi in Oratoriis publicis, ut ostensum est suprà. Ergò nec Bulla quæ verba sua à Concilio mutuavit, *l.* 2. *C. de Noxal. l. Juris gentium*, §. *Si paciscar*, *ff. de pactis*, juncta *l. Transigere*, ubi gloss. *magna*, *C. de transact.* Bart. & Doctores in *l. Sciendum*, *ff. Qui satis dare cogantur.* Alioquin verba Bullæ, *Ad divinum cultum dedicatis*, essent inania, & nihil operarentur. Atque ita in terminis Bullæ Cruciatæ declarat. Henriq. *de indulgent. lib.* 7. *n.* 4. *litt. K.*

Præterea Bulla debet interpretari ut minùs deroget juri communi & Concilio, quàm fieri possit, *cap. Pastoralis*, *de privileg. cap.* 1. §. *Numquid*, *eod. tit. lib.* 6. ubi Gemin. *in* 1. *notab.* Si intelligatur ut det licentiam celebrandi in Oratorio domestico, & in tempore interdicti, corrigit in duobus. Est enim contra Concilium quoad Oratoria, & contra jus commune tam quoad interdictum, *cap. Alma Mater*, *de sent. excomm. un. lib.* 6. quàm quoad Oratoria, ut in juribus *n.* 13. allegatis. Ergò satis est, ut in uno corrigat jus commune, *cap. In his de privileg.* Undè hanc theoriam DD. communiter defumunt, & pluribus comprobat Suarez, *l.* 8. *de leg. cap.* 14.

Et confirmatur, quia etsi propter præservationem Pontificiæ autoritatis, de qua in *c. ult. sess.* 25. non requiratur ut Tridentino Concilio specialiter derogetur, ut requiritur in aliis Conciliis generalibus, juxta text. in *cap. Ex parte*, *de Capell. Monach.* Necesse est tamen, ut Papa expressè statuat contrarium jus, quod Concilium disponit, ut sæpiùs declaravit S. Congregatio ejusdem Concilii Interpres, ut patet ex motu proprio Pii V. ut dixi *in cap. Nulla*, *n.* 86. *suprà de concess. præbend.* At Bulla tantùm abest ut expressè statuat contrarium ejus, quod statuit Concilium, ut potiùs disponat illud idem quod Concilium disponit, cùm iisdem verbis utatur, ut dictum est suprà.

Non obstat particula implicativa; *etiam*, quia implicat suppositivè, ut in indultis vescendi carnibus etiam temporibus jejuniorum, & quadragesimæ, & celebrandi ante lucem. Dum ergò concedit licentiam celebrandi etiam tempore interdicti, supponit licentiam celebrandi in Oratorio aliis temporibus. Id autem dupliciter potest contingere, vel quia publicum, vel quia adest privilegium Sedis Apostolicæ.

Dicendum ergò aut Bullam loqui de publicis, vel de domesticis cum suppositione privilegii; debet enim supponere terminos habiles. Atque hanc intellectum ad Bullam videtur sequi Henriq. *loc. cit.* & ita olim declaravit Sacra Congregatio Concilii; censuit enim Commissarium Cruciatæ non habere facultatem concedendi licentiam celebrandi in Oratoriis domesticis; sed tantùm in Oratoriis publicis ad divinum cultum dedicatis.

His accedit observantia subsecuta tam quoad Commissarios, quàm quoad Papam. Quoad Commissarios, quia nunquam usi hac facultate; nec est verisimile usos non fuisse si habuissent. Et Archiepiscopus Toletanus revocavit concessiones quas fecerat in vim Bullæ, & declaravit eas Pontifici reservatas.

Quoad Papam, quia concedit licentiam cum multis clausulis & moderationibus quarum superiùs meminimus *n.* 22. & cum magna difficultate. Quod esset ridiculum si unicuique liceret ex Bulla Oratorium habere. Et augetur absurdum, quia sine licentia Commissarii id omnibus liceret etiam infirmæ conditionis mediantibus duobus regalibus, nullibi enim in Butr. fit mentio de licentia Commissarii, nisi quoad Indultum celebrandi ante lucem.

Ultimò, causa impulsiva quæ movit Paulum V. ad revocandas licentias celebrandi in ejusmodi Oratoriis, fuit quoniam relati fuerunt graves abusus qui in hac materia irrepserant; & præsertim quòd Mauri & Christiani novi in eis abutebantur Sacramento & committebant detestanda sacrilegia. Undè si adesset hæc facultas, tamen expediret eam revocare, *ad cap. Suggestum de decimis.*

DE CENSIBUS EXACTIONIBUS ET PROCURATIONIBUS.

Cap. Autoritate.

DISCEPTATION. DE GRANGIIS. & earum Oratoriis.

SUMMARIUM.

1 *Grangiæ, & earum privata Oratoria an ab Episcopo visitari possint, si pertineant ad aliquod Monasterium jurisdictioni Episcopi subjectum, in vim decreti Innoc. X. & num. seq. usque ad num.* 27.
2 *Grangiarum duæ sunt species, & n.* 18.
3 *Et de quibus Grangiis intelligantur Constitutio & Decretum Innocentij X. & Litteræ Circulares Congregationis, & n.* 18. *&* 20.
4 Cap. Autoritate de Censibus *refertur & expenditur, & n.* 5. *&* 6. *& n.* 15.
5 *Procuratio ratione visitationis propter privatum Oratorium non debetur, & n.* 15.
6 *Visitationi annexa est procuratio.*
7 *Episcopus potest tantùmmodo visitare Ecclesias, loca Religiosa, & loca pia, & n.* 24.
8 *Grangiæ primæ speciei sunt loca merè temporalia & profana, & n.* 15.
9 *Oratorium privatum non est Ecclesia, nec locus Religiosus, nec pius, & num. seq. usque ad n.* 16.
Licèt in eo quandoque celebretur, n. 12. *& n.* 15.
10 *Ecclesia quæ dicatur, & in quo differat ab Oratorio.*
11 *Hospitale non fundatum autoritate Episcopi visitari non potest, licèt in eo sit Oratorium privatum, & n.* 15.
14 *Visitatio instituta est ad correctionem, & n. seq.*
15 *Referuntur verba Autorum dicentium Grangias, & earum privata Oratoria ab Episcopo visitari non posse, licèt quandòque in iis celebretur.*
16 *Argumenta contraria proponuntur, & solvuntur, & n. seq. usque ad n.* 27.
17 *Monasteria de jure subsunt Episcopo; sed illorum Grangiæ, & privata Oratoria non visitantur.*
Visitationi Episcopi subsunt parvi Conventus non suppressi ex Decreto Innocentii X. non autem illorum Grangiæ, & privata Oratoria, & quæ sit ratio diversitatis, ibidem, & n. 18.
19 *Declarationes Congregationis de Capellis Grangiarum ab Episcopo visitandis, quomodò sint intelligendæ, & n. seq. usque ad n.* 21.
21 *Capellæ idem sunt quod Domus Religiosæ.*
22 *Oratoria publica quæ sint.*
23 *Grangiæ, & earum privata Oratoria an expediat statuere ut ab Episcopo visitentur, & n.* 24.
25 *Episcopus an possit accedere ad privatum Oratorium, ut videat an teneatur honestè.*
26 *Conversi & Monachi in Grangiis degentes, qualiter & quandò subsint jurisdictioni ac visitationi Episcopi.*
27 *Constitutio Innoc. X. super extinctione parvorum Conventuum eorumque reductione ad statum sæcularem refertur.*
28 *Litteræ Circulares Congregationis super statu Regularium circa suppressionem & applicationem parvorum Conventuum referuntur.*
29 *Litteræ circulares ejusdem Congregationis circa Grangias Monasteriorum referuntur.*
30 *Decretum Innoc. X. super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci refertur.*
31 *Declarationes Congregationis super statu Regularium ad dictum Decretum referuntur.*
32 *Decretum Alexandri VII. prohibens Episcopis visitantibus parvos Conventus ne procurationem accipiant, refertur.*
33 *Decretum Congregationis super statu Regularium circa Vicarias Parochialium in Grangiis Monasteriorum refertur.*

1 Utrum Grangiæ in quibus non degunt Monachi, sed conversi pro agrorum cultura earumque privata Oratoria visitari possint ab Episcopo Diœcesano, si pertineant ad aliquem conventum jurisdictioni Episcopi subjectum in vim Decreti felicis recordationis Innocentii X. quod incipit *ut in parvis*.

2 Ad evidentiam præmittendum est duas esse species Grangiarum ad Monasteria pertinentium. Quædam enim sunt Grangiæ strictè & propriè sumptæ & de quibus intelliguntur Canones cùm simpliciter de Grangiis loquuntur, ut *c. ult. de cens. c. Patentibus de privil.* Extravag. *unica de decimis inter communes cum similibus*; & tales Grangiæ nihil sunt aliud quàm domus rurales seu prædia rustica sub proprietate & dominio alicujus Monasterii in quibus non consueverunt morari Monachi, sed conversi tantùm pro agris colendis, nec in eis ulla est Ecclesia aut publicum Oratorium autoritate Episcopi constructum, sed tantummodò Oratorium privatum ad orandum, licèt hic quandòque aliqui Monachi celebrent de licenti Episcopi. Et hujusmodi Grangiæ non sunt loca publica, nec Sacra nec Religiosa, quin imò nec pia, sed privata, temporalia & profana, ut infrà uberiùs explicabitur. Et in multis Hispaniæ locis vocantur *rura*, ut notat Covarruvias quia etiam ponit vocabuli etimologiam seu allusionem cum glossa marginali *in dicto capite ultimo, de censibus*; & in Regno Neapolitano dicuntur *Massariæ* & in agro Romano *Casalia* & prædia seu possessiones appellantur à Federico de Senis qui de his Grangiis plenè tractat *in cons.* 151. Thema tale est Monasterii S. Galgani nec tales tenentur lege Diœcesana ut notat Innoc. *in cap.* 1. *nu.* 5. *de stat. Monach.* & post eum Hostiensis *ibidem num.* 4. *post medium vers. Excipiuntur* Nec de his Grangiis loquuntur Constitutio Innocentii X. quæ incipit *Instaurandæ*, nec ejus decretum initio citatum, quod incipit *ut in parvis*, ut mox dicemus. Et de Grangiis hujus primæ speciei propriè & strictè sumptis proponitur præsens quæstio.

Aliæ verò sunt Grangiæ impropriè & largè sumptæ, quæ in summa nihil aliud sunt, quàm Conventus, seu domus regulares dependentes ab aliquo Monasterio principali, quæ latiori significatione appellantur illius Grangiæ vel quia sunt illi unitæ perpetuò & accessoriè & sic sunt veluti illius prædia, seu membra ut per Oldrad. *cons.* 257. *factum tale est*, *num.* 15. *vers. fundata igitur*, Rota *decis.* 370. *aliàs* 11. *de rebus Eccles. non alien. in Antiq.* Et tales sunt Prioratus dependentes à Monasteriis de quibus loquitur textus *in cap. final. de Capell. Monachor.* & de his loquuntur Constit. *Instaurandæ* & Decretum *ut in parvis*, Innoc. X. ut statim patebit.

Sed observandum est Grangias hujus secundæ speciei esse 3 in duplici differentia.

Quædam enim sunt suppressæ in præcitata Constitutione Innocentii cùm enim in Ordinibus Regularium plurimi essent Conventus in quibus ob reddituum tenuitatem sustentari non poterant Religiosi in numero sufficienti ad observantiam Regularis disciplinæ, Pontifex ex causis expressis in proœmio Constitutionis

Constitutionis operæ pretium duxit illos supprimere & sæcularizare, etiam si essent Grangiæ, id est etiamsi tales Conventus dependerent ab aliquo Monasterio & essent illius membra quemadmodùm fecit verbis infrascriptis: *motu proprio &c. omnes & singulos Conventus quorumcumque Monachorum ac Regularium virorum &c. cujuscumque Ordinis mendicantium vel non mendicantium etiam si illis animarum cura personarum Sæcularium incumbat sintve hospitia vel Grangiæ seu alterius Monasterii membra &c. in litteris ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina juxta peculiaria cujusvis Ordinis Instituta servari non potest, autoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus, &c. illosque ab omni proprietate, Domino, superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus, & totaliter liberamus, & omnem conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitùs extinguentes, illos ad statum sæcularem reducimus.* Hactenùs verba Constitutionis. Ex quibus liquidò constat Pontificem suppressisse hos parvos Conventus, & illos ad statum sæcularem reduxisse, etiamsi sint Grangiæ, vel alterius Monasterii membra. Atque ita ut locum habeat suppressio, & sæcularizatio Grangiarum, necessariò requiritur, ut sint Conventus, qui sint Grangiæ, seu membra alicujus Monasterii, & ab illo dependeant, juxta textum *in dict. cap. fin. de Capell. Monach.*

Idemque patet evidenter ex Litteris Circularibus ad præscriptum memoratæ Constitutionis à Sacra Congregatione datis ad singulos Procuratores Generales cujusque Religionis sub die 10. Decembris 1652. & in specie ad Procuratorem generalem Congregationis Cassinensis in hæc verba: *Nella Bulla di N. S. novamente publicata supra l'estintione, e suppressione de' piccoli Conventi sono anche compresili membri, e le Grangie di cotesta Congregatione Cassinense, dove per il poco numero de' Religiosi non può secondo il suo instituto osservarsi la disciplina regolare ancorche habbiano annessa la cura delle Anime, ò siano Parochiali, e specialmente l'infrascritte, cioè S. Maria di Nazaro di ninna Diocese, S. Maria di Civitella, e S. Angelo di Liprignano, S. Maria di Fonte vivo della Diocese di Parma, S. Barbara nella Citta di Ravenna uiten à S. Paolo di Roma, &c.*

Quod ipsum constat ex aliis Litteris Circularibus sub eadem forma datis ad alios Procuratores Ordinum. Nam Grangiæ omnes in illis nominatim expressæ nihil sunt aliud, quàm parvi Conventus suppressi, cum sua Ecclesia uniti alicui Monasterio principali, seu ab illo dependentes, ut habetur in Registris Sacræ Congregationis. Quo fit ut nec Bulla Innocentii, nec Litteræ Circulares adaptari possint ad Grangias strictè & propriè sumptas primæ speciei; non enim in illis potuisset supprimi & extingui regularitas, quam nunquam habuerunt, cùm privatio supponat habitum, nec reduci potuissent ad statum sæcularem, cùm semper fuerint loca sæcularia & profana. Nec Superiores Regulares in illis ullam habuerunt jurisdictionem, à qua oportuisset illas eximere, nec eas Pontifex censendus est voluisse abdicare à dominio & proprietate Regularium, nec talibus congruunt verba illa: *Etiamsi illis Animarum cura personarum sæcularium incumbat*, cùm non habeant Populum, nec Ecclesiam, sed privatum Oratorium duntaxat, minùsque illis conveniunt sequentia verba: *In quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina servari non potest*, cùm in eis non consueverint morari Presbiteri, vel Clerici professi, sed solùm Conversi pro cultura agrorum sine aliqua observantia regularis disciplinæ, ut dictum est suprà in prima specie harum Grangiarum n. 3. Undè jure optimo S. Congregatio super statu Regularium jam censuit in his Grangiis primæ speciei Constitutionem Innocentianam nihil novi juris induxisse.

Aliæ verò Grangiæ hujus secundæ speciei sunt non suppressæ, eò quòd tempore quo edita fuit Constitutio, habebant redditus sufficientes ad sustentandos & re ipsâ sustentabant sex saltem Religiosos, & ideò Papa noluit eas supprimere, sed tamen quia multi erant Conventus, in quibus, etsi præfixus fuisset numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinæ; & ideircò in suppressione antè dicta non fuerint comprehensi: nihilominùs sive ob redditum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aut aëris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alebatur cum gravi detrimento regularis observantiæ: Pontifex Innocentius intendens huic malo remedium adhibere, omnes & singulos ejusmodi Conventùs, ut præfertur, non suppressos, cujuscumque sint Ordinis, &c. aut Grangiæ, seu membra alterius Monasterii existentes intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, in quibus tunc non alebantur, vel quandocumque actu non alentur, saltem sex Religiosi probatæ vitæ, quorum ad minùs quatuor sint Sacerdotes maturæ ætatis, visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, ut Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus subjectos esse statuit, decrevit & declaravit. Quæ sunt formalia verba Decreti, *ut in parvis*, ab Innocentio editi die decimâ Februarii 1654. §. *Insuper.* Ex quibus constat evidenter Decretum loqui de illis tantùm Grangiis, quæ sunt Conventus Regulares cum sua Ecclesia alicui Monasterio uniti, & ab eo dependentes, seu illius membra: undè nullatenùs adaptari possunt ad Grangias strictè & propriè sumptas primæ speciei, quæ nec sunt, nec unquam fuerunt Conventus Regulares, nec habent Ecclesiam, sed tantummodò privatum Oratorium, nec in eis aluntur Monachi pro observantia regularis disciplinæ, sed solùm Conversi pro agrorum cultura.

Cùm igitur in Grangiis illis primæ speciei nec locum ha- 4 beat Constitutio Innocentii, nec Litteræ Circulares Congregationis, nec Decretum, *ut in parvis*, de his proponitur præsens quæstio, videlicet.

Utrùm Grangiæ, in quibus non degunt Monachi, sed Conversi pro agrorum cultura, earumque privata Oratoria visitari possint ab Episcopo Diœcesano, si pertineant ad aliquem Conventum jurisdictioni Episcopi subjectum in vim Decreti fel. rec. Innocentii X. quod incipit, *ut in parvis*.

Hanc quæstionem decidit textus *in cap. Autoritate*, quod est *cap. ultimum de censibus*, ubi Gregorius Nonus, *Autoritate*, inquit, *præsentium inhibemus, ne quis pro eo, quòd in Oratoriis quæ in Grangiis vestris habetis, interdùm aliquis vestrum celebrant, procurationes, quæ ratione visitationis debentur, à nobis exigere, vel extorquere præsumat.*

5 Quem textum sic summant Joan. Andr. Butr. Anchar. & Joan. de Anan. Propter privatum Oratorium procuratio non debetur. Cardin. verò & Abbas summant sic. Propter privatum Oratorium procuratio ratione visitationis non debetur. Sed secundum glossam in figuratione casus hoc dicit: *Religiosi, licèt aliquandò celebrent in Oratoriis, quæ in Grangiis suis habent, propter hoc ratione visitationis procurationes exhibere non debent.*

Hoc ipsum inhibuerat Honorius Tertius in sua compilatione *de Capell. Monach. cap.* 2. ut referunt Joan. Andr. & Cardin. *in d. cap. ult. in princ. in verb. Inhibemus.*

6 Dum autem Gregorius Nonus in eadem Decretali prohibet, ne Prælatus propter privatum Oratorium Grangiarum, in quo aliqui Religiosi interdùm celebrant, exigat procurationem ratione visitationis; in necessariam consequentiam prohibet, ne Prælatus ibi faciat visitationem, quia de jure communi non est dari visitationem sine procuratione, cùm procuratio sit visitationi annexa, & unum sine altero esse non possit, ut *cap. Cùm venerabilis*, §. *quia ergò de censibus.* Quod adeò verum est, ut contra procurationem nec valeat præscriptio, ut est textus *in cap. Cùm ex officii de præscript.* ubi de Archiepiscopo Senonen. Monasterium Monachorum visitante sic legitur: *Cùm procurationem sibi debitam postularet, ipsi eam inhumaniter negaverunt, ad sui negationis defensionem hoc solùm allegantes, quòd non meminerint se procurationem hujusmodi Prædecessoribus ejusdem Archiepiscopi exsolvisse, nec ab eis aliquandò fuisse petitam: Nos igitur præmissam allegationem eorum nullam penitùs reputantes, cùm contra procurationem quæ ratione visitationis debetur, præscribi nequiverit, quemadmodùm nec contra visitationem ipsam potest aliquo modo præscribi, &c. mandamus, &c. quia secundùm Apostolum, Qui spiritualia seminat, non est magnum si metat carnalia, cùm nemo cogatur suis stipendiis militare, &c.* Hactenùs verba textùs.

Quibus stantibus ad rem nostram sic formatur argumentum. Quicumque potest visitare, potest etiam exigere procurationem quæ ratione visitationis debetur, *ut in d.* §. *Quia ergò*, *& in d. cap. Cùm ex officii.* Sed Episcopus propter privatum Oratorium quod habent Religiosi in suis Grangiis, non potest exigere procurationem quæ ratione visitationis debetur, ut est casus litteralis *in dict. cap. ult. de censibus.* Ergò Episcopus non potest Grangias, & illarum privatum Oratorium visitare. Vel aliter sic: Si Episcopus posset visitare Grangias, & illarum privatum Oratorium, sequeretur ut etiam posset exigere procurationem debitam ratione visitationis, cum de jure communi non possit dari visitatio sine procuratione, *ut in præcitato* §. *Quia ergò*, *& cap. Cùm ex officii.* Sed consequens est falsum, quia Episcopus propter privatum Oratorium Grangiarum non potest exigere procurationem debitam ratione visitationis, ut deciditur *in d. cap. ult. de censibus.* Ergò & antecedens. Undè præallegata Decretalis Gregorii inevitabiliter probat, Grangias Regularium, & illarum privata Oratoria, licèt Religiosi interdùm in eis celebrent, ab Episcopo visitari non posse.

Quæ conclusio duplicem habet rationem.

Prima ratio est, quia Episcopus in sua Diœcesi potest tantummodò visitare Ecclesias, loca Religiosa, & loca pia, ut 7 legitur *in cap.* 1. *de censibus lib.* 6. & in Concilio Trident. *cap.* 8. *sess.* 21. & notant *in d. cap. ult. de censib.* Cardin. *ante numerum primum vers. Visitantur enim*, & Alb. *in* 1. *notab.* Grangiæ autem, & illarum privata Oratoria nec sunt 8

Ecclesiæ, nec loca Religiosa, nec loca pia.

De Grangiis hoc est manifestum, quia sunt loca merè temporalia & profana, nihil spiritualitatis habentia, secundum Collectarium *in d. cap. ult. post principium*, & fusiùs explicabitur *infra n. 15. vers. Jo. Gusfredus, & n. 17.*

9 De privato autem Oratorio similiter patet, quia neque est Ecclesia, neque locus Religiosus, nec locus pius.

10 Quòd non sit Ecclesia patet evidenter, quia inquit Host. *in d. cap. ult. de censibus n. 4.* (Ecclesia dicitur ubi certa dos statuta est pro Sacerdote & Clericis, qui ibi serviant, & pro aliis Ecclesiæ necessitatibus, *cap. Nemo, de consecr. dist. 1. cap. Cùm sicut de consecr. Ecclesiæ vel Altar.* Oratorium verò dicitur, quod non est dotatum, nec est ædificatum ad Missam celebrandam, sed ad orandum tantùm, *cap. Unicuique de consecr. dist. 1.*) ita Host. *in d. cap. ult. de censibus n. 4.* qui ferè ad calamum transtulit verba Innocentii, & concordat hic Joan. Andr. *n. 4.* & quod tale Oratorium non sit Ecclesia, nec veniat Ecclesiæ appellatione per textum *in d. c. ult.* tradunt Decius *cons. 148. n. 1. vol. 1.* Paulus Fusc. *de visitatione lib. 2. cap. 12.* Sanchez, *de Matrim. lib. 9. disput. 15. num. 39.* & Stephanus Costa *in cap. Is cui n. 19. de sent. excomm. lib. 6. Repetent. tom. 5. pag. 445.* qui ad hoc allegat textum *in cap. Parentibus de privileg.*

11 Quòd autem Oratorium non sit locus Religiosus similiter patet, quia non est erectum autoritate Episcopi, prout requiritur, ad hoc ut locus sit Religiosus, *cap. de Xenodochiis de Relig. domib.* Undè nec gaudet immunitate, & secundum Innoc. *in cap. Inter dilectos n. 2. de donat.* & Host. *in d. c. ult. sub n. 2. vers. Et est ratio*, (quia, inquit, non intelligitur dedicatum Deo, nec censetur locus Religiosus, vel sacer; undè & si hodiè est Oratorium, cras fieri poterit Ca-
12 mera.) Et sequuntur ibidem Joan. Andr. *n. 2. & plerique alii*, & quamvis jure communi inspecto possit in eo quandoque celebrari de licentia Episcopi, *cap. Clericos, & cap. Si quis extra Parochias de consecr. dist. 1.* ex hoc tamen non concluditur pernecesse, ut locus sit publicus & Religiosus, ut probatur *in d. cap. ult. de censib.* & hic notant Joan. de Anan. *num. 2.* & Abb. *in 1. notab. vers. Item nota*, quorum verba inferiùs ad litteram referemus *sub n. 15.* quo fit ut Missam ibi audientes diebus festis, præcepto Ecclesiæ non satisfaciant, *cap. In his cum ibi notatis de privileg.* nec possit ibi teneri Campana publica, ut est casus *in cap. Parentibus eod. tit.* & notat Roch. de Curte *in tract. de Jure patron. in ver. construxit quæst. 19. n. 17. tract. com. tom. 5. fol. 364.*

Demùm quòd hujusmodi Oratorium non sit locus pius,
13 probatur *in cap. 1. de censibus lib. 6. juncto d. cap. ult.* ut hic declarat Abbas *in ... notab.*

Et est simile in Hospitali quod non est fundatum autoritate Episcopi; non enim potest Episcopus illud visitare, licèt in eo sit Oratorium privatum, ut probat textus *in cap. Ad hæc de Relig. domib.* ubi hoc firmat Innoc. Hostiens. Joan. Andr. Butr. Cardin. Abb. & alii communiter, & nos pleniùs hic scripsimus *n. 51. & 52.*

14 Secunda ratio est, quia visitatio instituta est ad correctionem, *cap. Procurationis, §. Porrò de censib.* in privato autem Oratorio nullus est Clericus ordinatus ad celebrandum, qui possit corrigi, ut dicunt *in d. cap. ult.* Gloss. Innoc. & alii inferiùs citandi *n. 15.* Ergò tale Oratorium, cùm deficiat finis visitationis, visitari non potest.

15 Sensus igitur Gregorii Noni in prædicta Decretali ultima de censibus, talis est, quia in his Grangiis, & earum privatis Oratoriis nulla fit visitatio, idcircò prohibemus ne Prælatus ab illis exigat, vel extorqueat procurationem quæ ratione visitationis debetur. Et ita intelligunt illum textum Canonistæ omnes, quorum verba hic ad litteram fideliter referemus.

Glossa ibidem, *in verbo Ratione visitationis*, sic ait: (Talis procuratio non præstatur, nisi quandò personaliter visitant locum causâ correctionis. Sed in Grangiis istis nulla fit visitatio; licèt ibi quandoquè Monachi celebrent; sed ad caput accedit Prælatus causâ visitationis, & infrà, Et ibi non consueverunt morari Monachi, sed Conversi, causâ colendi agros suos, & ita cùm nulla fiat visitatio, nulla propter hoc quòd ibi aliquandò celebrant, debet præstari procuratio.)

Innocentius in principio, (Nullus, inquit, ordinatus est ibi ad celebrandum, nec est ordinatum, ut ibi celebretur ordinatè, sed tantùm ordinatum erat, ut esset ibi locus, ubi quilibet posset orare; nam tunc cùm nullus esset Ordinarius, vel Vicarius Clericus hujus Oratorii, nec esset qui visitari posset ratione Oratorii.)

Abbas Antiquus *n. 2.* (scire debes, quòd quandoquè aliqua fiunt Oratoria, non ut ibi regulariter celebretur, sed tantùm ut quandoquè possint ibi aliqui celebrare, sicut faciunt Scholares Parisiis, multi milites in Francia, & aliis terris,) & infrà: (Et quia nullus est ibi qui visitari possit, nunquam est procuratio exigenda.)

Hostiensis *in princip. in ver. In Oratoriis*: (Cùm Populum non habeant, neque Curam, & ideò non sunt visitanda, ut hic dicit, cùm ibi non sint Clerici constituti. Cùm igitur non sit ibi Populus, nec Clerici esse debeant, non est ibi visitatio facienda, per consequens, nec procuratio exigenda quia visitatio fit causa correctionis, cui annexa est procuratio. Cùm igitur ibi nihil sit visitandum, nihil est procurationis nomine exigendum, secundum Vincentium & Goffredum, *& infra n. 4. in ver. Visitationis.* Quia non fit ibi visitatio, sed cultura tantùm, & fructuum congregatio: visitatio autem fiet in capite, scilicèt in Monasterio cui subest.)

Joannes Andreas *num. 3.* (Nullus est hic ordinatus ad continuam celebrationem, licèt sit locus ordinatus ad orandum & sic non est ibi Rector, qui ratione hujus Oratorii debeat visitari.

Joannes Goffredus, aliàs Collectarius *in principio* (Oratoria non tenentur ad procurationem quæ quisque in domo sua erigere potest, & intelligitur secundum Abbatem (*id est Antiquum*) *de Oratoriis*, quæ non habent certum Ministrum & in quibus regulariter non celebratur, si enim haberent certum Ministrum, non video quare Episcopus non teneatur visitare,) & infrà: (Aliqui Religiosi, maximè Monachi albi habent aliquas Grangias in quibus nihil spiritualitatis est, sed omninò temporale; & licet forsan aliquas Capellas vel Oratoria [illegible], tamen sunt ibi per modum accessorii)

[illegible] de B[illegible] *num. 2.* (Nota 2. quod Oratoria privata [illegible] Episcopo subjecta, ut habeat potestatem de his [illegible] disponendi. Et similiter dixi vobis [illegible] privatis. Undè ad hoc ut Oratorium & Hospitale [illegible] Episcopi potestati, exigitur quòd sint publica.)

Cardinalis *num. 2. vers. Quinto quæro.* (Innocentius intelligit, quòd nullus ordinatus erat, nec ordinatum erat, quòd ibi ordinatè celebraretur, sed tantùm, quòd hic esset locus in quo quilibet posset orare, quo casu cùm nullus sit Ordinarius vel Vicarius Clericus hujus Ordinarii non debet visitari.)

Petrus de Ancharano *num. 1.* (Nota primò, quòd licet in Oratoriis quandòque celebretur, non per hoc tamen procuratio per Episcopum exigetur,) & infrà *num. 5.* (Ultimò intelligit Innocentius hunc textum de Oratorio in quo non est aliquis Rector constitutus, sed quandòque Abbas mittit unum, quandòque alium. Et hoc importat quod dicit textus, *aliqui vestrum.* Si verò hic esset deputatus aliquis, qui perpetuò deserviret, non videt Innocentius quare non posset Episcopus visitare & procurationem suam exigere.)

Joannes de Anania *num. 2.* (Nota, quòd licet aliquandò in Oratoriis celebretur, non tamen propter hoc exigitur procuratio per Episcopum. Et sic tantùm ab Ecclesiis publicis intitulatis & consecratis procuratio ratione visitationis exigi potest. Et ex hoc collige, quòd Oratoria non sunt Episcopo subjecta, ut habeant circa illa ad libitum potestatem disponendi. Simile dicimus de Hospitalibus. Undè ad hoc ut Hospitalia, de Cantoria sint subjecta Episcopo, necesse est, ut sint publica & ut sint subjecta Episcopis non sufficit docere aliquandò Divina celebrari & sic actus celebrandi non est signum necessariò concludens Ecclesiam fore publicam.)

Abbas Panormitanus *in principio* (Nota primò, quòd Oratoria privata non sunt sub potestate Episcopi, saltem quoad jus visitandi & procurationem exigendi. Et ex hoc & ex textu nota quòd loca publica vel religiosa sunt visitanda duntaxat ad hoc *c. 1. §. 1. de cens. lib. 6.* ubi bonus textus, nam hic dicitur quòd loca pia Episcopus potest visitare. Ex illo textu unito isti infertur quòd appellatione pii loci non venit Oratorium privatum. Item nota, hic celebrant interdum, quòd actus celebrationis necessariò non concludit locum esse publicum, quod nota, nam facit pro istis hospitalibus in quibus interdum celebratur, ut ex hoc solo non concludatur hospitale esse religiosum, quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse quod intelligo, nisi actus celebrandi sit publicus, & omnes indifferenter admittantur ut notat Archidiaconus *in c. Nemo de consecrat. dist. 1.*)

Vivianus *in Rationale Juris Pontificii in d. c. ult. de censibus.* (Quia inquit, hujusmodi procuratio non præstatur, nisi cùm Prælatus visitat locum causa correctionis. Et quoniam in Grangiis istis, sive Oratoriis nulla fit visitatio licet hic quandòque Monachi celebrent, sed ad caput accedit Prælatus causa visitationis; & hic non consueverunt morari Monachi, sed conversi causa colendi agros suos, ideò cùm nulla fiat visitatio, nulla propter hoc, quod hic aliquandò celebratur, debet præstari procuratio, *ut in textu.*)

Quibus addimus Thomam Sanchez *de Matrim. lib. 9. disput. 15. num. 39.* cujus hæc sunt verba: (Gravius autem dubium est de Oratoriis & quidem si de Oratoriis strictè loquamur & quæ propriè talia dicuntur, qualia sunt Hospitalium & Eremitoriorum quædam Ecclesiæ privata autoritate absque Episcopi licentia erectæ & alia in domibus privatis fundata, constat apud omnes ea minimè esse loca re-

ligiosa, nec Ecclesiæ nomine comprehendi, quia possunt ad nutum fundatoris ad profanos usus redire quamquam ex Episcopi licentia in eis celebretur. Et ita colligitur *ex cap. final. de cens.* ubi deciditur Oratoria privata non subesse Episcopi potestati quoad jus visitandi, procurationemque exigendi.)

Patet igitur ex præmissis juxta unanimem Canonistarum sententiam in præallegato *c. ultimò de censibus.* efficaciter probari Grangias & illarum privata Oratoria non esse ab Episcopo visitanda.

16 Sed contra prædicta opponitur primò, quòd Doctores præallegati loquuntur in puris terminis juris communis, nec vendicant sibi locum in nostro speciali casu, nam præsens quæstio proponitur de Oratoriis Grangiarum dependentium ab aliquo Conventu subjecto Episcopo in vim Decreti Innocentii X. incipientis, *Ut in parvis.* Hoc autem Decretum verbis prægnantibus & geminatis supponit parvos Conventus plenè in omnibus visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Episcopi, ut Sedis Apostolicæ delegati. Si igitur Episcopus plenam habet facultatem visitandi principalem Conventum & caput cur non habeat pariter facultatem visitandi Grangias & earum Oratoria, quæ sunt illius membra cùm omnia membra caput sequantur; *ad Ephes. 4. cap. Nec decet 12. dist.* & accessorium sequatur naturam sui principalis, *ut in Regula Sexti Accessorium.*

17 Huic oppositioni respondet glossa *in d. cap. ult. de cens.* dùm ait: (In istis Grangiis nulla fit visitatio, sed Prælatus visitationis causa accidit ad caput, idest ad Conventum cui subsunt,) secundum Host. *ibid. num. 4.* & sic Episcopus visitat caput, sed non visitat membra. Idque probatur efficaciter *in eodem cap. ult.* Nam Monasterium de quo ille textus loquitur, erat omninò subjectum Episcopo, sicut sunt Monasteria omnia de jure communi, ut est casus *in c. Cùm dilectus de Relig. Domib.* & ibi notant *in Summario*, Joan. Andr. Butr. Cardin. & omnes & resolvit Rotæ *decis. 78. num. 1. part. 1. divers.* atque ita Episcopus absque dubio poterat illum visitare & tamen visitare non poterat grangias & privata Oratoria illius membra ut ex communi Scribentium sententia abundè probatum est suprà. Non est igitur bona consequentia, Episcopus potest visitare principalem Conventum & caput ex præallegato Decreto Innocentii, ergò & grangias & earum oratoria ejusdem conventus membra, inter hæc enim magna est ratio diversitatis, quia Conventus est locus sacer & Religiosus cum Ecclesia Campanili & publicis campanis & sunt ibi Monachi, seu Religiosi, qui possint corrigi; undè nihil mirum si subest visitationi & jurisdictioni Episcopi ut in memorato Decreto Innocentii, & probatur *in c. 1. §. 1. de cens. lib. 6.* At grangiæ & illarum privata Oratoria non sunt loca sacra, nec religiosa, imò nec pia, ut suprà est ostensum, præsertim *num. 8. & seq.* nec sunt hic personæ ordinatæ quæ possint corrigi, secundum Innoc. & omnes supra citatos *num. 15* ideoque nec sunt in potestate Episcopi, ut dicunt Anton. de Butr. Joan. de Anan. & Abbas relati *sub eod. num 15.* non igitur mirum si tanquam loca merè temporalia & profana à Prælato visitari non possint, nec est novum in jure ut caput & membra diverso jure censeantur, quoad jus visitandi, ut patet *in cap. Ex ore de privil.* ubi Prælatus visitat caput & non membra. Quapropter quoad jurisdictionem in Conventibus Regularium & illorum grangiis pari passu ambulant Jus commune & Decretum Innocentii, nisi quod de jure communi Episcopus in Conventibus habet jurisdictionem ordinariam & ex decreto Innocentii delegatam. Nec refert, quòd in Decreto hujusmodi jurisdictio sit collata Episcopo verbis prægnantibus & geminatis, quia nihilominùs est cumulativa cum Superioribus Regularibus, ut respondit S. Congreg. super statu Regularium in declarationibus impressis ad dictum Decretum. *Ut in parvis, in 11. declaratione*, & tamen etiamsi esset privativa & major quàm competat Episcopo de jure communi, nunquam extenderetur ad grangias & illarum privata Oratoria per supra dicta.

18 Opponitur secundò in Constitut. Innoc. X. quæ incipit, *Instaurandæ*, disertis verbis exprimuntur grangiæ, seu alterius Monasterii membra. Et tales eximuntur ab omni superioritate, jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium & ad statum sæcularem reducuntur sublatis exemptionibus; & consequenter constituuntur sub jurisdictione ordinaria Episcopi, juxta text. *in cap. Omnes Basilicæ 16. qu. 7. cum multis similibus*, de quibus ibi *in gloss. unica.* Et in Decreto ejusdem Pontificis incipien. *Ut in parvis*, similiter sunt expressæ grangiæ seu membra alterius Monasterii & tales apertis verbis plenè in omnibus subjiciuntur visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci. Frustra ergò nunc disputamus, an grangiæ & illarum Oratoria visitari possint ab Episcopo cùm habeamus legem apertè & clarè hoc disponentem; quæ non obstante contraria constitutione Gregorii Noni *in d. c. ult. de censib.* tanquam posterior omninò servanda est *ut cap. 1. de Constitut. lib. 6. cum concordantibus*, de quibus hic per glossam *in ver. Revocare.*

Respondetur breviter Constitutionem Innocentii & Decretum, *ut in parvis*, loqui tantùm de grangiis secundæ speciei nempè de Prioratibus & Parvis Conventibus unitis alicui Monasterio principali seu ab eo dependentibus juxta textum *in d. c. final. de Capell. Monachor.* qui propter hujusmodi unionem ac dependentiam largo sumpto vocabulo dicuntur illius grangiæ, seu membra, ut plenissimè probatum est suprà in evidentialibus *num. 2. vers. Aliæ verò sunt grangiæ.* Tales enim cùm sint loca sacra & religiosa cum Ecclesia, Claustro & Campanili proculdubio visitari possunt ac debent ab Episcopo *ut in c. 1. §. 1. de censib. lib. 6.* & in Concil. Trid. *c. sess. 22.* Et quidem si sint suppressæ, cùm ex Bulla Innocentii exemptæ fuerint à jurisdictione & superioritate Regularium & ad statum sæcularem redactæ visitari possint ab Episcopo Jure Ordinario; si verò non sint suppressæ jure delegato ex præcitato Decreto, *ut in parvis.* Sed quæstio nostra non proponitur de his grangiis secundæ speciei, sed de grangiis quæ sunt loca ruralia & merè temporalia & profana de quibus abundè actum est suprà in evidentialibus *num. 2.* undè objectum non obstat.

Opponitur tertiò, inter declarationes dicti Decreti Inno- 19
centii X. à Sacra Congregatione super statu Regularium editas, atque ab Alexandro VII. approbatas extant quinta, sexta & septima infrascripti tenoris, videlicet. Quintò an Ecclesiæ dictorum Conventuum & Capellæ grangiarum in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura ab Episcopo visitari possint. Sextò an ipsæ grangiæ & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi. Septimò quid in Ecclesiis, seu Capellis grangiarum in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi. Ad suprascripta dubia Sacra Congregatio respondit ut sequitur videlicet *Ad quintum posse, ad sextum subesse, ad septimum itidem subesse*; cùm igitur præsens quæstio in præmissis declarationibus à Pontifice approbatis appareat decisa, non videtur de illa ulteriùs disputandum.

At respondetur prædictas declarationes esse intelligendas 20
de Ecclesiis & Capellis publicis duntaxat, non autem de Oratoriis privatis, quod clarè ostenditur triplici motivo.

Primum est & quidem meo judicio fortissimum, quia declarationes illæ emanarunt ad decidendas dubitationes exortas super intelligentia memorati Decreti, ut demonstrat illarum titulus seu rubrica quæ sic inscribitur. *Declarationes Decreti sanctæ memoriæ Innocentii Papæ X. super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci à Sacra Congregatione super statu Regularium editæ atque à Sanctissimo Domino nostro Alexandro Papa septimo approbatæ.* Idemque patet ex initio earumdem declarationum in hæc verba. *Posito Decreto felicis recordationis Innocentii Papæ X. super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apostolicæ delegati, contingit dubitari de infrà scriptis.* Hoc autem Decretum nusquam loquitur de Grangiis primæ speciei, quæ sunt loca ruralia & merè temporalia cum privato Oratorio, nec de his ullum facit verbum, sed loquitur solùm de Grangiis secundæ speciei, nempè de Conventibus non suppressis in quibus non habitant sex saltem Religiosi & hos subjicit jurisdictioni Ordinarii loci, etiam si sint Grangiæ seu membra alterius Monasterii. Et sic loquitur de Grangiis quæ sunt Conventus formales cum Ecclesia & Campanili, ut fusè ostensum est suprà in evidentialibus *n. 2. §. aliæ verò Grangiæ*, nullus enim est ex his Conventibus non suppressis qui non habeat Ecclesiam seu Capellam publicam. Dum ergò Sacra Congregatio declarat Ecclesias Conventuum & Capellas Grangiarum subesse visitationi Episcopi, necessariò intelligi debet de Ecclesiis & Capellis publicis quæ reperiuntur in istis Grangiis secundæ speciei de quibus Decretum loquitur. Rubrica enim declarat materiam nigri esse illius naturæ cujus est rubrum. Glossa *in c. 1.* in verbo *Conservatores in princ. & in c. Si super gratia* in verbo *principalis*, vers. *sed executor de Offic. Deleg. lib. 6.* cùm præsertim non solùm in rubrica, sed etiam in nigro ipsarum declarationum fiat restrictio illarum ad parvos Conventus jurisdictioni Episcopi subjectos in 4
vim Decreti Innocentii.

Nec refragatur quòd quinta declaratio loquatur de Capellis Grangiarum in quibus degunt conversi pro agrorum cultura; & septima de Grangiis in quibus nullus degit conversus. Quoniam ex hoc non sequitur ut hæ duæ declarationes intelligi debeant de Grangiis ruralibus primæ speciei. Observandum est enim multos esse Conventus non suppressos qui 5
sunt Grangiæ seu membra alicujus Monasterii, quive in dies rediguntur ad inopiam propter bella, inundationes aquarum terræ motus, sterilitates vel alios casus fortuitos; & Superiores Regulares minuunt in illis numerum Religiosorum & relinquunt unum vel duos conversos pro agrorum cultura & aliquandò etiam hujusmodi Conventus claudunt in totum vel ob aëris intemperiem vel per aliquot annos ad augendos redditus vel pro fabrica perficienda, prout sunt aliqui in Con-

gregatione Monachorum Cœlestinorum & in aliis Religionibus; & tales Conventus qui largè appellantur Grangiæ, non propterea desinunt esse Conventus & loca Sacra & Religiosa cum Ecclesiis seu Ecclesiis seu Capellis, sicut erant ab initio, licèt in eis degant aliqui conversi tantùm pro agris colendis, aut nullus etiam remaneat conversus. Undè absque dubio tales Conventus subsunt visitationi Episcopi vigore Decreti Papæ Innocentii; & de talibus Grangiis secundæ speciei & earum Ecclesiis & Capellis debent intelligi declarationes Congregationis, cùm de illis tantùm loquatur ipsum Decretum ad cujus declarationem emanarunt resolutiones, non autem de Grangiis ruralibus primæ speciei quæ non sunt nec unquam fuerunt Conventus & de quibus Decretum non loquitur.

21 Secundum motivum est, quia Capellæ idem sunt quòd domus Religiosæ, ut notat Abbas *in rubrica de Capel. Monac.* quin imò Ecclesiæ ipsæ appellantur Capellæ, ut *in c. cùm Capella & in c. ex ore de privil. cum multis similibus*; atque ita cùm hujusmodi Capellæ sint loca Sacra & Religiosa, procul dubio ab Episcopo sunt visitandæ, ut *in c.* 1. §. 1. *de censib. lib.* 6. & in Concilio Tridentino *c.* 8. *sess.* 22. & de talibus intelligi debent declarationes Congregationis, non autem de Oratoriis privatis Grangiarum, quæ non sunt loca Sacra nec Religiosa nec pia, ut suprà dictum est. Et confirmatur ponderando verba septimi dubii superiùs relati hic. *Quid in Ecclesiis seu Capellis Grangiarum in quibus nullus degit conversus*, nam dictio *seu* ponitur inter sinonima & idem importantia, clem. *si Romanus de præb.* clem. 2. *de vita & honest. Cleric.* clem. 1. *de censib.* Gemin. *cons.* 115. *incip. super dubio n.* 7. undè patet Congregationem pro eodem habuisse
22 Ecclesias & Capellas seu publica Oratoria; & meritò, quia talia passim nuncupantur Ecclesiæ nec differunt nisi respectu consecrationis, *c. omnes Basilicæ de consecrat. dist.* 1. sunt enim publica Oratoria quæ autoritate Episcopi sunt erecta, in quibus est Rector vel persona hic ordinata ad celebrandum; & publicè celebratur secundum Innoc. Host. & alios *in d. c. ult. de cons.* quorum verba superiùs retulimus *n.* 15. & quæ habent ostium immediatè respondens in viam publicam & nullum aditum vel prospectum in locum privatum ex Sententia Sacræ Congregationis Concilii & in talibus Oratoriis publicis verificari potest verbum *Capellæ* de quo loquuntur declarationes antè dictæ; hæc enim duntaxat, non autem privata Oratoria possunt ab Episcopo visitari, ut tenent omnes *in d. c. ultimo suprà citati n.* 15. & patet ex Decreto Concilii Tridentini *de observandis & vitandis in Celebratione Missæ, sess.* 22. vers. *Neve patiantur hic & ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab rijdem Ordinariis designando & visitanda.*

Tertium motivum est, quia si declarationes hujusmodi, quòd Episcopus posset visitare Capellas Grangiarum, intelligerentur de Oratoriis privatis, pugnarent de directo cum Decretali Gregorii IX. *in d. c. ultimo de censib.* & illaset corrigerent, cùm in ea interdicatur Episcopo talis visitatio, ut plenissimè in superioribus probatum est, hoc autem esset absonum, cùm correctio hujusmodi fit vitanda & expediat jura juribus concordare, *c. cùm expediat de elect. lib.* 6. *cum similibus*, ut per Romanum *cons.* 104. *n.* 1. *posi medium*, vers. *hoc autem probatur.*

Opponitur quartò, quòd quamvis rurales Grangiæ & illa-
23 rum privata Oratoria visitari non possint, videtur tamen expedire ut Sedes Apostolica statuat suo peculiari Decreto ut visitentur, ut per Hostiensem *in d. c. ultimo n.* 4. *de censib.* ubi postquam dixit (in Grangiis non fieri visitationem, sed culturam tantùm) mox subjungit, (sed quis habet curam hic inhabitantium? Respondeo de Fratribus professis planum est, quia Abbas vel cui hoc committit & Episcopus sub quo habitant, nisi forsan sint exempti, *c. volentes*, §. *in eo autem de privil. lib.* 6. Quid igitur de familia, scilicet sæcularibus & laicis bubulcis, servientibus & similibus, utique timeo ne multi periclitentur, quia nec proprio Sacerdoti, nec illi sub quo habitant de licentia proprii Episcopi continentur, sed quandòque Monachis qui in tales nullam habent penitùs potestatem. Ergò in his per Sedem Apostolicam aliter providendum ex quo non vult quòd loca talia visitentur, per hoc tamen potest colligi argumentum efficax, quod visitanda essent.) Hactenùs verba Hostiensis.

Sed respondetur opinionem Hostiensis non placere Joanni
24 Andreæ ibidem in fine, quia inquit secundum id idem posset dici de omnibus privatis & ipsorum familia. Consordat Butrius *n.* 13. dicens, quia si per hoc tales essent visitandi, sequeretur quòd quilibet Laicus cum familia sua esset visitandus, quod non est dicendum, quia ista non convertuntur, debet quis accipere Sacramenta, ergò & visitari debet. Et sequitur Cardinalis ante numerum primum, ubi sic ait (dicit Joannes Andreas quòd secundum hoc ultimum (loquitur de verbis Hostiensis) posset argui de omnibus privatis & ipsorum familia quòd visitari deberent, quòd est absonum quòd placet, visitentur enim per Prælatos Ecclesiasticos solùm loca Ecclesiastica & familiæ Ecclesiasticæ, Mercenarii enim non censentur de familia, *c. per exemptionem & c. licèt*, vers. *non sic de privil. lib.* 6.)

Opponitur quintò, quidquid sic de visitatione privati Ora- 25
torii, saltem non videtur dubitandum quominùs Episcopus possit ad illud accedere, ut videat an teneatur honestè & providere ut opus fuerit; ita enim docuit Innocentius *in d. c. ult. de censib. post principium* cujus hæc sunt verba. (Fatemur tamen quòd si hi quorum sunt Oratoria non teneant ea honestè nec faciant hic celebrari, poterit Episcopus ea destruere, *de consecr. dist.* 1. *c. omnes Basilicæ & c. seqq.*) & sequitur ibidem Abbas Antiquus *n.* 2. & Abbas Siculus in fine, ubi sic ait (Et credo quòd licèt Episcopus non possit visitari hujusmodi Oratoria, ut hic tamen posset ad illa accedere, ut videat quomodò se habeant; & si præter formam juris constructa sint & an honestè tractentur, ut suprà secundum Innocentium.)

Respondetur opinionem Innocentii habere locum in illis tantùm Oratoriis quæ sunt dicata & autoritate Pontificis ædificata ad celebrandum, aliàs contrà, ita formaliter declarat ibidem Host. *n.* 2. *circa finem*, cum quo transeunt Joannes Andreas *n.* 3. vers. *Dicit tamen.* Anton. de Butr. *n.* 8. & Card. *n.* 2. *in* 5. *q.* vers. *Si tamen habentes.* Ad privata ergò Oratoria non constructa autoritate Episcopi ad celebrandum, non potest Episcopus accedere ut videat an teneantur honestè secundum opinionem Hostiensis & sequacium, quæ fortè est de jure verior.

Sed pro concordia dici posset opinionem Innocentii & Abbatis procedere quandò præcedit accusatio vel denuntiatio aut fama publica quòd Oratorium inhonestè teneatur, tunc enim Prælatus potest procedere super crimine in judicio accusationis vel denuntiationis aut inquisitionis, secundum ea quæ leguntur & notantur *in c. Qualiter & quandò, il secondo de accusat.* & sic potest accedere ad Oratorium, ut videat an contiet de corpore delicti, sicut ex hac causa accedere potest ad domum cujuslibet privati, o, injonem verò Host. & sequacium vendicare sibi locum quandò Episcopus sine ullo præcedente judicio vult accedere ad Oratorium, ut videat an teneatur honestè vel non, tunc enim accedere non potest, quia locus non est erectus autoritate Episcopi, neque est Sacer neque Religiosus, neque pius, ac proindè potestati Episcopi minimè est subjectus, ut sæpiùs repetitum est.

Verùm quidquid sit de veritate prædictarum opinionum, explorati juris est hujusmodi accessum Episcopi ad privatum Oratorium non fieri ex causa visitationis, Innocentius enim & Abbas qui concedunt accessum, absolutè excludunt visitationem, undè illorum sententia impedire non deber quominùs resolvendum sit Grangias & illarum privata Oratoria ab Episcopo visitari non posse.

Opponitur sextò & ultimò, Grangiæ rurales primæ speciei 26
de quibus nunc agimus, saltem videntur visitari posse propter conversos qui in eis habitant pro agrorum cultura ex Decreto Sacri Concilii Tridentini, *c.* 3. *sess.* 6.

Respondetur non valère consequentiam, conversi in Grangiis degentes visitari possunt, ergò & ipsæ Grangiæ. Inter hæc enim maxima est ratio diversitatis, nam conversi sunt personæ Ecclesiasticæ, glossa 1. *in c. Duo sunt* 12. *q.* 3. & glossa 2. *in c. Ut lex* 17. *q.* 1. & ex toto translati in forum Ecclesiæ habentque immunitatem Ecclesiasticam; & qui eos percutiunt, incidunt in excommunicationem Canonis *si quis suadente, ut c. non dubium* & hic glossa 1. & 2. & Doctores communiter *de sent. excomm.* unde nihil mirum si à Prælato visitari & corrigi possunt ac debent, *c. irrefragabili & c. licèt de Offic. Ordinar.* At Grangiæ rurales de quibus est quæstio, non sunt loca Ecclesiastica, sed merè temporalia & profana, ut pluribus ostensum est suprà in evidentialibus in principio & *n.* 8. & 15. ac propterea mirum non est si visitari non possunt. Et hanc differentiam posuerunt Host. & alii superius relati *in* 4. *oppositione* dum dixerunt planum esse, quòd Fratres professi in Grangiis degentes sunt sub cura Abbatis & Episcopi, sed loca talia & eorum familia, Bubulci & servientes visitari non possunt, quia potestati Episcopi non subsunt, undè oppositio de jurisdictione Episcopi in conversos ad rem prætentem non pertinet.

Sed nihilominùs ut sciatur an & quandò conversi & Monachi degentes in Grangiis subsint jurisdictioni Episcopi, duo casus sunt distinguendi.

Primus casus est de conversis degentibus in Grangiis secundæ speciei, id est in Conventibus seu Prioratibus dependentibus ab aliquo Monasterio; & hoc primo casu subdistinguenda nam aut Conventus & Prioratus hujusmodi sunt suppressi ex Bulla *Instaurandæ* Innocentii X. aut non. Si sunt suppressi, procul dubio conversi in eis degentes subsunt jurisdictioni Episcopi, quia tales Conventus licèt sint Grangiæ alterius Monasterii, in Bulla separantur ab omni superioritate, jurisdictione & alio quocumque jure Regularium & extinctâ in eis regularitate, ad statum sæcularem reducuntur, ut fusius dictum est suprà *n.* 3. undè cùm conversi in eis degentes habitent extra Claustra, procul dubio si delinquant, visitari, puniri

puniri & corrigi possunt ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato in vim præcitati Decreti Concilii Tridentini *c.* 3. *sess.* 6. Nec refragantur literæ circulares Sacræ Congregationis, quia tales Conventus anteà suppressi & sæcularizati per hujusmodi litteras non fuerunt redacti ad statum regularem, ut aliàs probavimus & novissimè, ut audio, declaravit Sacra Congregatio Concilii.

Si verò hujusmodi Conventus ex prædicta Bulla non sunt suppressi, tunc Monachi & conversi in eis degentes Jure communi inspecto visitari & corrigi non possunt ab Episcopo Diœcesano nisi in defectum Abbatis, ut probatur *in c. fin. de Capell. Monach.* nam hic est casus, quòd Episcopus compellit Abbatem, ut revocet Monachos ad claustrum Monasterii à Prioratibus ab eo dependentibus vel eis socios adjungat; & ibidem notat Abbas *n.* 1. *in hæc verba* (Nota quòd correctio Monachorum primo loco spectat ad Abbatem, non autem concurrit Episcopus cum Abbate ut sit locus præventioni, nam ut hic videt Papa mandat Archiepiscopo non ut ipse compellat Monachos, sed Abbates, ut per eos Monachi revocentur, sed in defectum Abbatis poterit Episcopus supplere *in cap. Quantò de Offic. Ordin.*) hactenùs verba Abbatis, undè patet ex dispositione Juris communis jurisdictionem Episcopi in Monachos & conversos degentes in his Prioratibus & Grangiis non esse cumulativam cum Prælatis Regularibus, sed subsidiariam in defectum Abbatis.

Cæterùm quidquid sit de Jure communi, hodiè secùs dicendum est, quia in prædicto Decreto Innocentii X. incip. *Ut in parvis* subjiciuntur visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati omnes parvi conventus non suppressi, etiam si sint Grangiæ vel alterius Monasterii membra, non obstantibus exemptionibus & privilegiis quibus in eo Decreto amplissimè derogatur; & jurisdictio Episcopi in hujusmodi Conventibus est cumulativa cum Superioribus Regularibus & est locus præventioni, ut censuit hæc Sacra Congregatio in declarationibus impressis in responsione ad 11. & 12. dubium. Atque ita jurisdictio quam habet Episcopus jure delegato in Regulares degentes in hujusmodi parvis Conventibus & Grangiis non suppressis ex Bulla Innocentii non est ampliùs subsidiaria, sed cumulativa cum jurisdictione ordinaria Prælatorum Regularium; & remanet correcta dispositio Juris communis *in d. c. fin. de Capell. Monach.*

Secundus casus est in Grangiis merè laicalibus de quibus instituta est præsens disputatio. Et hoc casu cùm hujusmodi Grangiæ non sint loca Regularia & claustralia, sed merè sæcularia & profana, planum est conversos in eis commorantes uti degentes extra claustra, nullius privilegii prætextu tutos censeri, quominùs si deliquerint ab Ordinario loci tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato secundum Canonicas Sanctiones, visitari, puniri & corrigi valeant, quæ sunt formalia verba Concilii Tridentini *in dicto capite* 3. *sess.* 6.

Itaque ex omnibus ut suprà deductis ac ponderatis ad propositam quæstionem, salvo saniori judicio, credimus posse responderi.

Grangias in quibus non degunt Monachi, sed conversi pro agrorum cultura earumque privata Oratoria ab Episcopo Diœcesano visitari non posse, licèt pertineant ad aliquem Conventum jurisdictioni Episcopi subjectum in vim prædicti Decreti *Ut in parvis.* Cæterùm conversos in ipsis degentes si delinquant, visitari, puniri & corrigi posse ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, *d. c.* 3. *sess.* 6.

P. FAGNANUS.

---

27 *CONSTITUTIO FELICIS*

Recordationis Innocentii Papæ decimi, super extinctione & suppressione parvorum Conventuum; eorumque ad statum sæcularem reductione & bonorum applicatione ac prohibitione erigendi nova loca Regularia in Italia & Insulis adjacentibus.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

INstaurandæ Regularis disciplinæ opus multis laboribus ac vigiliis, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris jam pridem assumptum, nobis in dies magis magisque cogitantibus cur ad optatum finem hucusque perduci non potuerit; torque saluberrima Decreta & Ordinationes ferè in irritum cecidèrint; illa tandem præcipua sese obtulit originis causa, quòd Religiones complures ex parvis Conventibus ac domibus magna ex parte constant, in quibus sive ob reddituum & eleemosinarum tenuitatem, sive ob aëris intemperiem, sive aliam ob causam non aluntur, nec ali possunt tot Religiosi quot ad peragendum ritè Divinum cultum & Regularia munia ex cujusque Ordinis præscripto sunt necessarii. Etenim in tam exiguo numero hic degentes nec Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum in Choro celebrare, nec Orationi mentali ac Spiritualibus collationibus & exercitiis ac studiis in commune vacare, ac silentium, clausuram, vitam communem cæterasque Institutiones servare possunt quæ ad tria principalia vota ordinantur & sine quibus consistere vix possunt Regularis vitæ bases & fundamenta. Quamobrem si mersi nullum Religiosæ vitæ specimen præseferunt, soli incedunt per Urbes & loca cum sæcularibus vagantur ac mundanis negotiis se involvunt; indèque fit ut hic collocari renuant Religiosi probatæ vitæ ac disciplinæ & Superiores cogantur illic familiam constituere ex fratribus vitæ laxioris, qui loci licentiâ priores fiunt; & si quandò ad Cœnobia seu Monasteria Regularis observantiæ revocantur à claustro quasi à squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam atque aliorum Institutionibus se conforment, quin potiùs cæteros avertunt vel certè reddunt suo exemplo segniores. Undè relaxationes derivantur in Ordines & sensim invalescunt in ipsarum Religionum dedecus & ruinam. Præterea (quòd dolentes referimus) ad hujusmodi conventus, præsertim in locis infrequentibus & solitariis tanquam ad asilum facinorosi homines & Curiæ contumaces vel proscripti in dies confugiunt ibique loci immunitate freti turpiter ac dissolutè viventes, atque indè in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia cum maximo populi scandalo. Cumque Conventus sive loca parva hujusmodi in effænatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere quæcumque reformationis remedia cassa fore & irrita, quamdiù non fuerint à Religionibus abscissa. Quæ potest enim spes esse corpus languidum & infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potiùs reliquam partem inficit atque contaminat. Hæc quippè sunt zizania quæ cùm iam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alligenda & à Religionum tritico separanda. Hæ sunt vulpes parvulæ quæ demoliuntur vineas. Hoc est fermentum quod totam massam corrumpit. Quæ omnia atque alia plura pro Pastorali nostra sollicitudine diù multùmque animo revolventes, ut Sacræ Religiones in multitudinem latius incremento fœcunditatis per universam Ecclesiam diffusæ à vepribus & spinis emundatæ uberes germinent fructus; nos etiam ab illustrissimis Religionum Superioribus reformationem, zelantibus crebris precibus interpellati & frequentibus Populorum querimoniis permoti salutare remedium adhibere, consultâ ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium & dilectorum filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum super statu Regularium à nobis deputatæ, cui hoc negotium seduso ac maturè examinandum commisimus, motu proprio, certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulos Conventus quorumcumque Monachorum ac Regularium virorum bona immobilia possidentium vel non possidentium cujuscumque Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis & cujusvis alterius Instituti, etiam Societatis Jesu, etiam si illis animarum cura personarum sæcularium incumbat, sintve Hospitia vel Grangiæ seu alterius Monasterii membra, existentes intra fines Italiæ & Insularum adjacentium in litteris ab eadem Congregatione prope diem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum Regularis disciplina juxta peculiaria cujusque Ordinis Instituta servari non potest, autoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò extinguimus, supprimimus & abolemus unà cum omnibus eorum Dignitatibus, Officiis ac ministeriis; illosque ab omni proprietate, Dominio, Superioritate jurisdictione, ac alio quocumque jure Regularium eximimus & totaliter liberamus; omnemque Conventualitatem, titulum, essentiam, ac denominationem regularem in eis penitùs extinguentes, illos ad statum sæcularem reducimus. Reservatâ tamen ipsi Congregationi facultate conservandi Religionibus aliquem ex Conventibus expressis in memoratis Litteris, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire judicaverit: salvis etiam Juribus, quæ Fundatoribus Conventuum sic suppressorum, vel aliis ex sacrorum Canonum præscripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium Superioribus, tam Generalibus, quàm Provincialibus, & localibus, quocumque nomine ac titulo nuncupentur, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus & mandamus, ut singuli, ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum à die præsentationis Litterarum à prædicta Congregatione, ut permittitur, expediendarum faciendæ in Romana Curia Procuratori Generali cujusque Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis dimittant realiter, & cum effectu coram Ordina-

rius locorum sub testimonio publico eidem Congregationi per eosdem Superiores Regulares exhibendo possessionem corporalem Conventuum in eisdem Litteris expressorum, & reservatâ eis facultate secum asportandi profanam tantùm, non autem sacram supellectilem, Religiosos indè amoveant, atque in illis Monasteriis ejusdem Ordinis, vel Congregationis, aut Societatis collocent: alioquin pœnas privationis vocis activæ & passivæ, necnon dignitatum & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, ipso facto absque alia declaratione incurrant. Eoque termino elapso non liceat Regularibus in Ecclesiis dictorum Conventuum Missas & divina officia celebrare, Confessiones Sacramentales audire, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones Parochiales exercere, aut verbum Dei prædicare, vel mortuos sepelire. Quòd si secùs egerint, eo ipso Ecclesiæ remaneant suppositæ Ecclesiastico interdicto. Et nihilominùs locorum Ordinarii, ubi per Litteras ipsius Congregationis fuerint requisiti, Religiosos rebelles, & refractarios à prædictis Conventibus ejiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio: & exindè Ecclesiarum, Domorum, bonorumque omnium ad Conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam & administrationem suscipiant, curentque ut ex eorum redditibus & proventibus universis in primis, & ante omnia impleantur onera Missarum, tam hucusque non celebratarum, quàm in posterum celebrandarum, & alia quæcumque ex lege fundationis, aut largitione fidelium, vel aliàs quomodolibet eis incumbentia quibus nullo modo derogare intendimus; & cura animarum si qua illis imminet per Presbiteros sæculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur; Ecclesiæque debito non fraudentur servitio. Cæterùm intendentes de prædictis bonis quotquot superfuerint oneribus, ut supra detractis salubriter providere, eorumdem tenore præsentium bona hujusmodi applicamus & applicata esse decernimus; & declaramus piis usibus in eiddemet locis ubi siti sunt Conventus; iisque non indigentibus in aliis locis ejusdem Diœcesis juxta designationem & partitionem quam eadem Congregatio singulorum Episcoporum cum suis Capitulis, sententiâ priùs audità & plenâ totius negotii relatione habità de Mandato nostro faciet in suis litteris ad eosdem Episcopos scribendis & in Cancellaria Episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam. Verùm, quia parum est mala præcidere, nisi etiam malorum causa & radix evellatur, Constitutiones felicis recordationis Bonifacii VIII. quæ incipit *Cùm ex eo*, nec non Clementis VIII. incip. *Quoniam ad institutam* aliorumque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum super erectione novorum Conventuum editas earumdem tenore innovantes illisque addentes, hoc perpetuò prohibemus ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis & cujusvis alterius Instituti etiam Societatis Jesu in aliqua Civitate, Castro, Villa seu loco ad habitandum domos vel loca quæcumque de novo recipere, seu Monasteria, Conventus vel Collegia incipere vel fundare præsumat absque Sedis Apostolicæ licentia speciali plenam & expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis & gratis concedendâ prævià examinatione Congregationis negotiis Episcoporum ac Regularium præpositæ, si secus egerint eo ipso incurrant pœnas privationis & inhabilitatis, ut suprà inflictas; & nihilominùs receptiones & fundationes & erectiones sint ipso jure nullæ & invalidæ; & domus ac loca ipsa & personæ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus subjaceant. Intendimus autem in præmissis etiam ultra Italiam & Insulas adjacentes, prout expedire viderimus providere. Decernentes præsentes litteras etiam ex eo quòd Superiores Regulares & cæteri quicumque in præmissis interesse habentes seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati & auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato ac substantiali, sive etiam ex eo quòd in præmissis seu eorum aliquo solemnitates & quævis alia servanda & adimplenda servata & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite à jure vel facto & statuto vel consuetudine aliquâ resultante seu etiam enormis, enormissimæ & totalis læsionis aut quocumque alio colore etiam in corpore Juris clauso seu occasione vel causâ quantumvis justâ, rationabili & privilegiatâ etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi & aliis superiùs expressis seu relatis nihil ubibi apparet seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus vel controversiam revocari aut ad terminos Juris reduci, vel adversùs illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam & terminos juris, facti, gratiæ vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso & impetrato quempiam uti seu se juvare in judicio vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas perpetuòque validas, firmas & efficaces existere & fore; suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere, ac per omnes & singulos ad quos spectat & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque & non aliter in præmissis omnibus & singulis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Sacri Palatii Apostolici Auditores, nec non Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de Latere Legatos & Nuntios, ac alios quâvis autoritate & potestate fungentes nunc & pro tempore existentes in quavis causa & instantia sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & definiri debere; irritum quoque & inane si secùs super his à quoquam quâvis autoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenùs opus sit, regula nostra de non tollendo jure quæsito aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis cæterisque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Congregationum, Societatum & cujusvis alterius Instituti etiam Societatis Jesu & Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum ac locorum Regularium quorumcumque nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis Statutis vel Consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, Indultis & Privilegiis etiam ex causa & titulo oneroso vel in limine fundationis & in mari magno seu Bulla aurea aut alijter nuncupatis sub quibuscumque tenoribus & formis & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus & insolitis clausulis nec non irritantibus & aliis Decretis etiam motu, scientiâ, deliberatione & potestatis plenitudine similibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum & quorumvis aliorum Principum & personarum quàcumque Ecclesiasticâ vel sæculari dignitate fulgentium seu eorum intuitu & contemplatione ac etiam consistorialiter & aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis & iteratis vicibus approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis quoad ea quæ præsentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus & formis specialis, individus & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quævis alia expressio habenda aut quævis exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso & formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, præsentibus pro expressis habentes illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientiâ deliberatione ac potestatis plenitudine paribus specialiter & expressè derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentes Litteræ in valvis Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, nec non Cancellariæ Apostolicæ ac in Acie Campi Floræ de eadem Urbe publicentur & affigantur quæ postquàm affixæ & publicatæ fuerint, omnes & singulos quos illæ concernunt, perindè arctent & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent. Quodque earumdem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio & extra illud ubique adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Ordinationis, extinctionis, suppressionis, abolitionis, exemptionis, liberationis, reductionis, præcepti, mandati, intentionis, reservationis, applicationis, declarationis, prohibitionis, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo, Idibus Octobris, Pontificatûs nostri anno nono.

Hi. Datarius.

Registrata in Secretaria Brevium.
Visa de Curia N. Humbertus.

G. Gualterius. C. Bailly.

Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1652. Indictione quintâ Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris & D. N. D. Innocentii, Divinâ Providentiâ Papæ X. anno ejus nono, die verò 22. mensis Octobris suprà dicta Constitutio affixa & publicata fuit in Ecclesia Lateranensi ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe nec non Cancellariæ Apostolicæ Valvis, ac in Acie Campi Floræ & in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Hieronimum Mascellam S. D. N. PP. Curs.

Pro Mag. Curs. Laurentius Barbigionus.

28 *LETTERA CIRCOLARE*
Della Sacra Congregatione sopra lo stato de Regolori scritta a'Vescovi d'Italia, e d'ell'Isole adiacenti intorno alla suppressione & applicatione de piccoli Conventi.

IN assecutione della Constitutione di Nostro Signore, che viene qui aggiunta, la Sacra Congregatione deputata da Sua Santità sopra lo stato de Regolari ha dichiarato, che in cotesta Diocese rimangono suppressi li Conventi infrascritti, cioè &c. & intendendo appresso di ripartire i loco beni in usi pii nell'istessi luoghi, ove i Conventi sono situati & non havendo quelli di bisogno in altri luoghi dell'istessa Diocese con la relatione, e parere di V. S. e del Capitolo di cotesta sua Cathedrale, come si ordina nella medesima Constitutione. Doutà perciò V. S. consultare con il detto suo Capitolo & unitamente esaminare con ogni più esquisita diligenza in quali usi pii sia bene di fare il suderto ripartimento, con haver particolar riguardo alla tenuità delle Chiese Parochiali, alla deputatione de'Coadjutori per la cura dell'Anime, e de Cappellani per la celebratione delle Messe, al mantenimento del Seminario, degl'Hospitali, de'Monasterii di Monache & altri che stimassero di maggior gloria di Dio, e beneficio Spirituale dell'Anime, con esprimere distintamente à Convento per Convento la forma del ripartimento, e distributione, che guidicheranno doversi fare in ciascheduno delli usi pii sopracennati, e ne transmetta poi quanto prima la relatione in scrittura fermata da lei, e dal medesimo suo Capitolo, che à questo effetto, e per maggior suo lume se le mandano qui uniti li stati di detti Conventi già transmessi à questa Sacra Congregatione da i Regolari medesimi, della verità, e sussistenza de'quali sarà ancor bene, che V. S. s'informi estragiuditialmente per poter dar la sua relatione più sicura & aggiustata alla santa mente di Sua Beatitudine, con auvisar ancora se costì vi siano altri Conventi oltre li sopranominati, ne'quali attualmente non si mantengano, nè si possano mantenere tanti Religiosi, che bastino per l'osservanza della disciplina Regolare. Eseguisca il tutto con quella pontualità & accuratezza, che richiede l'importanza un tanto affare, e che la Congregatione si promette del suo buon zelo, e singolar divotione à questa Santa Sede. E dio la prosperi. Di Roma a'10. di Decembre 1652.

29 *LETTERA CIRCOLARE*
Della Sacra Congregatione sopra lo stato de'Regolari scritta a'Vescovi d'Italia, e d'ell'Isole adiacenti intorno a' Membri, e Grangie de Monasterii.

NElla Bolla di Nostro Signore nuovamente publicata sopra l'estintione, e suppressione de piccoli Conventi sono anche compresi li Membri de'Monasterii, e le Grangie esistenti in cotesta Diocese, dove per il poco numero de Religiosi non può secondo i proprii Instituti delle Religioni osservarsi la disciplina Regolare, ancorche habbiano annessa la cura dell'Anime, ò siano Parochiali, e specialmente l'infrascritte cioè &c. e però dovendo i Superiori Regolari rimovere dalli Membri, Grangie e Parochiali tanto espressodi sopra, quanto da ogn'altra simile non espressa li Religiosi, che vi dimorano, e collocarli ne'Monasterii di osservanza, la Sacra Congregatione daputata da Sua Beatitudine sopra lo stato de'Regolari hà ordinato, che io scriva à V. S. che per l'auvenire non permetta, che in detti Membri, Grangie, e Parochiali habiti alcun Sacerdote, ò Chierico professo, permettendo solo la Santità Sua, che i Superiori Regolari quando non habbiano persone secolari idonee, e fedeli di loro sodisfattione, della quali possano servirsi per la cura & amministratione di quei beni liberamente possano in ciò valersi dell'opera de'loro converfi, ò laici professi di buon esempio fino ad altr'ordine di Sua Beatitudine, e con questo, che nelle Chiese, ò Capelle di detti Membri, e Grangie, dove fin'hora è stato solito di celebrarsi la Messa, vi facciano celebrare anche per l'auvenire almeno le Domeniche, e feste di Precetto da Sacerdoti secolari; & anche da Regolari purche non permettino fuori de'Monasterii. Parimente nelle Grangie, e Membri che in qualunque modo hanno annessa la cura dell'anime, e sono Parochiali, non vuole la Santità di Nostro Signore, che detta Cura si eserciti in modo alcuno da Regolari, mà che V. S. deputi à tal effetto Sacerdoti secolari idonei in Vicarii amovibili, ò perpetui, come à lei parerà più espediente per il buon governo delle Chiese da nominarsi da'Superiori, de'Monasterii, a'quali le dette Grangie, e Membri s'appartengono, e da approvarsi da V. S. con l'assegnamento di una congrua portione à suo arbitrio sopra i frutti de gl'istessi Membri, ò Grangie, conforme alla dispositione del Sacro Concilio di Trento. Non intende però Sua Santità, che dalla detta estintione, e suppressione nel possesso, e proprietà de'beni & altre ragioni di essi Membri, e Grangie sia generato alcun pregiudicio à i loro Monasterii principali, a'quali di ragione si devino, mà che detratta la derto congrua, e sodisfatto a'pesi delle Messe & altri oblighi, che vi saranno, il rimanente resti à commodo & utilità de'Monasterii suderti. Significo il tutto à V. S. perche non manchi di adempire le sue parti in effecutione dell'ordine, e santa mente di Sua Beatitudine. E dio la prosperi. Di Roma a'30 di Maggio 1653.

DECRETUM FEL. REC. 30
Innocentii Papæ Decimi super subjectione nonnullorum Conventuum Jurisdictioni Ordinarii Loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati.

UT in parvis Regularium Virorum Conventibus à Sanctissimo Domino nostro Innocentio Papa X. in Constitutione quæ incipit, *Instaurandæ*, primum suppressis, ac deindè ad ipsius Constitutionis limites ob rationabiles causas in pristinum statum Regularem restitutis, & ipsis Religionibus denuò concessis, piè & religiosè vivatur, ac regularia instituta, quo exactiùs fieri potest, observentur: Sanctitas Sua ex sententia Sacræ Congregationis super statu Regularium omnes, & singulos Conventus hujusmodi sic, ut præfertur, restitutos & concessos in litteris ab eadem Sacra Congregatione expediendis nominatim exprimendos, ac personas tam Regulares, quàm sæculares in eis degentes visitationi, correctioni, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegati, præsentis Decreti tenore plenè in omnibus subjecit, ac subjectos esse declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint, ut in eis commodè sustentari valeant, & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad Apostolicorum Decretorum præscriptum, idque eidem Sacræ Congregationi legitimè constiterit, & ejus Decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit, & non aliter. Intereà verò voluit Sanctitas Sua, ut in eorum singulis ali debeant, & re ipsâ alantur sex saltem Religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minùs sint Sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia restitutionis & concessionis hujusmodi nulla sit, & invalida, & Ordinarii locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia quæ in aliis Conventibus itidem suppressis per eamdem Constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis & concessionis non emanasset. Insuper quia multi Conventus, in quibus etsi præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinæ, & idcircò in suppressione antedicta non fuerint comprehensi; nihilominùs sive ob redditum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum, aut aëris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam prædictus numerus cum effectu in eis non alitur cum gravi detrimento regularis observantiæ: Sanctitas Sua intendens huic malo remedium adhibere, omnes & singulos ejusmodi Conventus, ut præfertur, non suppressos, cujuscumque sint Ordinis tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationis & Instituti, etiam Societatis JESU, aut Grangiæ, seu membra alterius Monasterii, existentes intra fines Italiæ & Insularum adjacentium, in quibus non aluntur, vel quadocumque actu non alentur saltem sex Religiosi itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut suprà sint Sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci similiter, ut Sedis Apostolicæ delegati plenè in omnibus præsentis pariter Decreti vigore subjectos esse statuit, decrevit & declaravit. Cæterùm quoad Conventus cum pauciori numero, quàm duodecim Religiosorum, erectos post diem 21. Junii 1625. & illorum subjectionem loci Ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere Decretum sanct. mem. Urbani Octavi jussu editum, cui per præmissa aliquatenùs derogari non intendit. Et prædicta omnia, & singula in præsenti Decreto statuta & ordinata voluit plenarium sortiri effectum, & executioni mandari, non obstantibus omnibus & singulis, quæ in antedicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ die 10. Februarii 1654.

E. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1654. In dictione septimâ, Pontificatûs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii Divinâ Providentiâ Papæ X. die verò 21. mensis Februarii. Suprà dictum Decretum affixum, & publicatum fuit in Ecclesia Lateranen. ac Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Paulum Desiderium Apost. Cursorem.

Pro D. Mag. Curs. Joseph Marcheratus Curs.

Declarationes Decreti fel. rec. Innocentii Papæ Decimi super subjectione nonnullorum Conventuum Jurisdictioni Ordinarii Loci à Sacra Congregatione super statu Regularium editæ, atque à sanct. mem. Alexandro Papa septimo approbata.

31 POsito Decreto fel. rec. Innocentii Papæ Decimi super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis Apostolicæ Delegati; contingit dubitari de infra scriptis.

1. An Episcopus in Conventibus suæ jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos & alios Superiores locales deputare & familiam constituere.

2. An possit Episcopus à prædictis Conventibus Religiosos amovere.

3. An Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus & exitus, & reddendas rationes administrationis:

4. An Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his quæ regularem disciplinam concernunt.

5. An Ecclesiæ dictorum Conventuum & Capellæ Grangiarum in quibus degunt Conversi pro agrorum cultura ab Episcopo visitari possint.

6. An ipsæ Grangiæ & Conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi.

7. Quid in Ecclesiis, seu Capellis Grangiarum in quibus nullus degit Conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi.

8. An licest Episcopo visitare Conventus tam suppressos & postèa restitutos, quàm non suppressos ad effectum cognoscendi, an in illis re ipsa alantur sex religiosi.

9. An Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni suppositos aut personas in eis degentes possit à visitatis procurationem exigere in victualibus vel in pecunia.

10. An jurisdictio Ordinariis locorum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto competat Vicariis generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus & aliis inferioribus Prælatis proprium Territorium ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus.

11. An Provinciales & alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus jurisdictioni Ordinarii subjectos & Religiosos in illis degentes visitare corrigere & punire omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum.

12. Si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conventibus Ordinario subjectis fabricando processum vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere ac Superiori inhibere.

13. Si è converso Episcopus prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare & sic de facto collocaverit an nihilominùs Episcopus possit causam prosequi ac Religiosum sic amotum revocare ad primum Conventum.

14. Si Provincialis vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus à tali Conventu removere, an Episcopus prohibere possit.

15. Si à Conventu primum suppresso, ac deindè Religioni restituto absint ex aliqua rationabili causa & ad breve tempus unus vel plures ex numero sex Religiosorum hic degentium, an gratia restitutionis sit nulla & Conventus remaneat suppressus ut priùs.

16. Quid si à Conventu non suppresso similiter ex causa rationabili & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis hic existentibus, an durante tali absentia, Conventus subjaceat jurisdictioni Ordinarii.

17. An Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero sex Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem.

18. Si gratia restitutionis Conventus suppressi reddatur nulla ex eo quòd in illo ad formem Decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & posteà contingat ut ejusmodi numerus impleatur an gratia restitutionis Conventus reviviscat.

19. Ad hoc, ut gratia restitutionis sit nulla & Conventus denuò remaneat suppressus, propterea quòd in eo non sustententur sex Religiosi an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto prævia causæ cognitione.

20. An ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam devolutivum quàm suspensivum.

21. Cum ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura.

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita hunc in modum respondit, videlicet.

AD 1. Non posse.

Ad 2. Posse ex rationabili causa, commonito tamen priùs Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus.

Ad 3. Posse compelli.

Ad 4. Posse.

Ad 5. Posse.

Ad 6. Subesse.

Ad 7. Iridem subesse.

Ad 8. Minimè licere antequam aliundè constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto.

Ad 9. Expedire ut Sanctissimus Dominus Noster decernat & declaret non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine.

Ad. 10. Competere.

Ad 12. Posse sicut priùs, non tamen privativè ad Episcopum.

Ad 12. Non posse, nisi ex justa causa, veluti cùm videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius, aut remissius constituere, quàm causa deposcit in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur.

Ad 13. Non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amovere & si amotus fuerit, posse Episcoporum causam prosequi & illum quibuscumque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii & brachio sæculari, si opus fuerit cujuscumque loci in quo Religiosus ille reperiatur.

Ad 14. Non posse.

Ad 15. Gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum.

Ad 16. Subjacere durante absentia.

Ad 17. Recuperare.

Ad 18 Non reviviscere.

Ad 19. Debere ita præcedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conventûs possessionem apprehendere aut Religiosos indè expellere.

Ad 20. Licere ad effectum devolutivum tantùm, non autem suspensivum.

Ad 21. Ætatem maturam dici ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

Declarationes supra scriptas Sanctissimus Dominus Noster ad se relatas approbavit & ab omnibus ad quos pertinet, observari præcepit contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ die 17. Julii 1655.

B. Card. Spada.

Loco † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Anno à Nativitate D. N. JESU Christi 1655. Indictione octava, Pontificatûs autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Alexandri Divinâ providentiâ Papæ Septimi anno ejus primo, die verò sexta mensis Augusti, suprà dictas Declarationes affixas & publicatas fuisse in Ecclesia Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ Valvis, ac in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Laurentium Lazzonium Apostolicum Cursorem.

Pro D. Mag. Cursorum A. Castruccius.

DECRETUM SANCT. MEM. Alexandri VII. prohibens Episcopis visitantibus parvos Regularium Conventus, ne aliquid accipiant procurationis nomine. 32

CUm Sacra Congregatio super statu Regularium aliàs consulta, an Episcopus visitans parvos Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes ad præ-

scriptum Decreti sanct. mem. Innocentii X. quod incipit, *Ut in parvis*, possit à visitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, dixerit expedire, ut Sanctissimus Dominus Noster decernat, & declaret non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine: Sanctitas Sua, Congregationis sententia audità, eam expressè approbavit, noluitque licere Episcopis hujusmodi Conventus visitantibus aliquid accipere procurationis nomine seu in pecunia, seu in victualibus, & ita observari præcepit, non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis etiam in corpore Juris clausis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ die 25. Junii 1664.

M. A. Card. Franciottus.

Loco † Sigilli.

Prosper. Fagnanus Secr.

Decretum Sacræ Congregationis super statu Regularium circa Vicarias Parochialium in Grangiis Monasteriorum. 33

AD dirimendas controversias quæ circa Vicarios curam animarum exercentes in suppressis Grangiis Monasteriorum, & circa congruam ipsis Vicariis assignandam, inter Superiores Regulares, & locorum Ordinarios in dies oriuntur occasione Constitutionis fel. rec. Innocentii X. incipient. *Instaurandæ*, & litterarum circularium desuper emanatarum sub die 30. Maii 1653. Sacra Congregatio super statu Regularium, Sanctissimo Domino Nostro approbante, præsenti Decreto statuit, ut in posterum minimè liceat ipsis Ordinariis locorum ex quavis causa, vel prætextu, aut quæsito colore Vicarias perpetuas ab eis, vel eorum prædecessoribus in prædictis suppressis Grangiis constitutas facere amovibiles, nec vice versâ constitutas amovibiles facere perpetuas absque licentia ipsius Sacræ Congregationis, nec congruam portionem, quam semel Vicariis perpetuis, vel amovibilibus earumdem Grangiarum, sive in quantitate, aut quota fructuum, sive in pecunia numerata, sive alia re stabili ipsi Ordinarii, vel eorum Prædecessores semel constituerint, seu assignaverint, quoquo modo augere, vel minuere, aut immutare Sacrâ ipsâ Congregatione inconsultâ, decernens irritum & inane, si secùs ab iis scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac similiter Superioribus Regularibus minimè fas sit cum ipsis Vicariis jam deputatis, seu deinceps deputandis publicat, aut secretas pactiones, seu conventiones inire super diminutione, aut alteratione, seu variatione dictæ congruæ, easque pactiones, seu conventiones tanquam de simoniaca labe, atque avaritia suspectas, Sacra Congregatio omninò rejicit, atque interdicit, eosque qui contra fecerint pœnis adversus simoniacos editis teneri decernit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ die 8. Octobris 1670.

V. Card. Capineus.

Loco † Sigilli.

Prosper. Fagnanus Secr.

Die 25. Octobris 1670. suprà dictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Franceschinum Santiss. D. N. Papæ Cursorem.

Joseph Pizzardus Mag. Cursorum.

DECLARATIONES *Sacræ Congregationis super statu Regularium circa jurisdictionem Ordinarii in Grangiis Monasteriorum, illarumque Ecclesiis, & publicis Oratoriis.*

POsitâ Constitutione fel. rec. Innocentii X. quæ incipit, *Instaurandæ*, necnon illius Decreto incipiente, *Ut in parvis*, contingit dubitari de infrà scriptis.

Primò. An Grangiæ ex dicta Constitutione Innocentii suppressæ, & ad statum sæcularem reductæ, illarumque Ecclesiæ, & publica Oratoria possint ab Ordinario visitari.

II. Et quatenùs possint, an hoc jus Ordinario competat privativè quoad Superiores Regulares, an verò cumulativè cum ipsis.

III. Et quid si prædictis Ecclesiis curâ animarum incumbat.

IV. An Superiores Regulares possint in dictis Ecclesiis curam animarum habentibus nominare Vicarios ad curam animarum exercendam, eosque ad nutum amovere.

V. An Grangiæ, seu membra alicujus Monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subsint jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci privativè, aut cumulativè cum Superioribus Regularibus.

Die 11. Septembris 1670. Sacra Congregatio super Statu Regularium ad singula dubia superius proposita, in hunc modum respondit; videlicet.

Ad primum Grangias, ut præfertur, suppressas, & ad statum sæcularem reductas, illarumque Ecclesias & publica Oratoria posse ab Ordinario visitari, dummodò in iis Grangiis, quarum proprietas fuit reservata, vel restituta principalibus Monasteriis, idem Ordinarius nullo modo se ingerat in temporalibus.

Ad secundum. Quoad Ecclesias & Oratoria publica jus visitandi competere Ordinario privativè; quoad Conversos autem in eis degentes cumulativè, Ordinario scilicèt jure delegato ad formam S. Concilii Tridentini, Regularibus verò jure ordinario.

Ad tertium. Itidem quoad Ecclesias dictarum Grangiarum curam animarum habentes jus visitandi Ordinario competere privativè; sed quoad Conversos in eis degentes hoc jus competere cumulativè, nempe Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato, Regularibus verò autoritate ordinariâ.

Ad quartum. Superiores Regulares posse hujusmodi Vicarios nominare, & illos ad nutum amovere, si Ordinarius loci ab initio illos deputaverit amovibiles.

Ad quintum. Grangias, seu membra alicujus Monasterii nunquam suppressa, in quibus non degunt saltem sex Religiosi, subesse jurisdictioni ac visitationi Ordinarii loci, ac Superiorum Regularium cumulativè, videlicèt Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ delegato ex prædicto Decreto, *Ut in parvis*, Regularibus autem jure ordinario.

V. Card. Carpineus.

P. Fagnanus Secr.

DECLARATIONES. *Sacræ Congregationis super statu Regularium circa jurisdictionem Episcopi in parvis Conventibus.*

EPiscopus visitavit Conventum suæ jurisdictioni subjectum in vim Decreti fel. rec. Innocentii Decimi incipientis. *Ut in parvis*, propterea quòd tunc temporis hic non erant de familia, nec re ipsa alebantur sex Religiosi. Sed post absolutam visitationem sine ulla fraude à Superioribus Regularibus in eodem Conventu adaucta est familia & impletus numerus sex Religiosorum, sicque Conventus exemptionem recuperavit juxta declarationem Sac. Congregationis super statu Regularium, nempè decimam sextam & decimam septimam inter impressas.

Hoc posito consulitur Sac. Congregatio de infra scriptis.

Primò. An post exemptionem ut præfertur, recuperatam Episcopus possit hujusmodi Conventum visitare ad effectum ut videat an ordinationes & decreta ab ipso edita in visitatione præcedenti fuerint adimpleta, nec ne.

II. Anve possit decreta non adimpleta exequi & pro illorum executione pœnas adjicere & aggravare.

III. Et quatenus possit an hæc facultas quæ ex dicto Decreto, *ut in parvis*, competit Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, expiret lapso integro anno à die publicationis Decretorum.

IV. An Episcopus post exemptionem à Conventu recuperatam possit condemnare & punire etiam pœna corporis afflictiva Religiosum qui pro delicto in curia Episcopali fuerat inquisitus & carceri mancipatus eo tempore quo Conventus erat jurisdictioni Episcopi subjectus.

Die 19. Novembris 1671. S. Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superius proposita respondit ut sequitur videlicet.

Ad primum posseaquàm Conventus exemptionem recuperavit Episcopum nequaquam posse illum visitare etiam ad effectum, ut videat an decreta edita in præcedenti visitatione fuerint executioni mandata.

Ad secundum. Itidem non posse post hujusmodi exemptionem decreta non adimpleta exequi minusque pœnas adjicere & aggravare pro illorum executione.

Ad tertium Jurisdictionem ex dicto Decreto, *Ut in parvis*, Episcopo attributam in Conventu non habente Religiosorum numerum hic præscriptum expirare eo ipso, quòd Conventus ob familiam sine fraude adauctam & impletum nu-

narum Religiosorum præfixum exemptionem recuperavit.

Ad quartum, Cùm contra dictum Religiosum non solum causa, sed etiam persona sit præventa eo tempore, quo Conventus erat subjectus jurisdictioni Episcopi & exemptio superveniens non invenerit eum liberum utique Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ delegatum posse hujusmodi causam tempore habili inchoatam prosequi etiam post exemptionem & eumdem Religiosum condemnare & punire etiam pœna corporis afflictiva.

V. Card. Carpineus.

P. Fagnanus Secr.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS.

Gregorius IX. Astoricen. Episcopo.

CAPUT IX.

AQua per Episcopum benedicta, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, Non obstante consuetudine provinciæ Bracaren. (quæ dicenda est potiùs corruptela) quia licèt Episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt; quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Quod autem mandantibus Episcopis, super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliari non potest, etiamsi aqua fuerit per Episcopum benedicta.*

2 *Delegari possunt ab Episcopo Clericis etiam minoribus quæ sunt jurisdictionis, non autem quæ sunt ordinis.*

3 *Consuetudo potest plurimum in his quæ sunt jurisdictionis, sed in his quæ sunt ordinis nihil potest.*

4 *Jurisdictio sive ordinaria, sive delegata solo verbo committitur & revocatur, potestas ordinis secùs.*

5 *Papa potest committere quæ sunt ordinis etiam non Episcopo.*

6 *Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ si sit consecrata non facilè committitur à Papa simplicibus Sacerdotibus.*

7 *Episcopatus est ordo.*

8 *Abbates Presbiteri & benedicti de Episcopi consensu, vel cum specialibus ejus dimissoris an possint tonsuram, & minores ordines conferre sæcularibus eidem Episcopo subjectis, & n. seq. usque ad n. 20.*

9 *Congregationis Concilii declaratio à quorumdam impugnationibus vindicatur.*

10 *Potestas duplex requiritur ad ordines conferendos.*

11 *Abbas Presbiter & benedictus quoad non subditos caret potestate jurisdictionis, sed non potestate ordinis & ideò ordinando illos imprimit caracterem & n. seq.*

12 *Concilii Tridentini decretum in cap. 10. sess. 23. expendatur.*

13 *Episcopi titulares possunt ordines conferre de licentia Episcopi Diœcesani.*

14 *Episcopus potest alteri Episcopo ea quæ sunt ordinis demandare.*

15 *Abbas invitatus potest tonsuram & minores ordines conferre etiam subditis alterius Monasterii.*

16 *Lex nova disponens in materia antiqua recipit interpretationes & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat.*

17 *Rotæ decisio de Abbatibus ordinantibus sæculares cum dimissoriis Episcopi expenditur.*

18 *Abbas qui sine Episcopi consensu contulit tonsuram & minores ordines regularibus alterius Religionis dimissis à suis Superioribus incidit in pœnam suspensionis ab exercitio Pontificalium & sic ordinati sunt suspensi ab executione ordinum.*

19 *Ordinati à non habente potestatem non sunt sustensi, sed iterùm ordinandi.*

20 *Degradatio Clericorum an possit demandari ab Episcopo Abbatibus, Presbiteris & benedictis.*

21 *Degradatio est ordinis Episcopalis. Mucro spiritualis est duplex.*

22 *Depositio ab ordine ad eum spectat ad quem spectat ordinatio.*

23 *Declaratur num. seqq.*

24 *Spiritualia facilius construuntur, quàm destruuntur.*

25 *In Degradatione Presbiteri olim sex Episcopi erant adhibendi tres in degradatione Diaconi vel Subdiaconi.*

26 *Depositio verbalis ab ordinibus etiam sacris fieri potest ab Episcopo tam per seipsum, quàm per ejus generalem Vicarium.*

27 *Degradatio solemnis fieri potest ab Episcopo per seipsum adhibitis tamen sex Abbatibus usum mitræ & baculi habentibus.*

28 *Vel aliis personis Ecclesiasticis etiam non Diœcesanis, si Abbates commodè interesse non possint, & n. 33.*

29 *Degradatio post Concilium Tridentinum fieri potest ab Episcopo, aliis Episcopis non adhibitis, non solùm in casu hæresis, sed etiam in aliis criminibus in quibus ad actualem degradationem sit procedendum.*

30 *Laici quantumvis graves non possunt hodiè degradationi assistere, sicut poterant de jure communi in casu hæresis.*

31 *Prælati Regulares Ordinum Mendicantium non dicuntur in dignitate Ecclesiastica constituti, quoad hoc ut possint actuali degradationi assistere.*

32 *Abbates non debent interesse examini, vel processui degradationis, sed tantùm actuali degradationi assistere, ut assessores.*

1 A*Qua.* Ecclesia polluta per Sacerdotem simplicem reconciliairi non potest, etiamsi aqua fuerit per Episcopum benedicta. Hoc dicit, & tria facit. Ponit dictum, damnat contrariam consuetudinem causam reddens & subdit præteriti tolerantiam. Secunda hic, *non obstante*, tertia hic, *Quod autem.*

Nota ex hac Decretali insignem regulam in materia delegationis, videlicèt ea quæ jurisdictionis existunt etiam minoribus Clericis ab Episcopo demandari posse ut cognoscere de causis judicare, instituere, beneficia conferre & omnia alia quæ affecutus est Episcopus in confirmatione, *c. Transmissam supra de elect.* nihil enim habet Episcopus quod sit meri imperii, quod non sit delegabile, ut hic gloss *in cap. Pervenit 95. dist.* quam dicit singularem Abb. *hic num.* 3. Ea verò quæ sunt ordinis Episcopalis committi non possunt ab Episcopo Clericis inferioris gradûs, id est non Episcopis ut consecratio Virginum ordinatio Clericorum; consecratio Ecclesiarum & similia de quibus in *cap. Quamvis, 68. dist.*

Ita hanc regulam ponit textus hic & gloss. *in d. c. Pervenit propè finem*, Anton. de Butr. *hic numer.* 3. *&* 4. Petr. de Anchar. *n.* 4. & Abb. *n.* 2. Similem regulam ponunt Doctores; & in specie Butr. *n.* 12. *in c. Quantò, suprà de consuet.* id est consuetudinem posse plurimùm in his quæ sunt
3 jurisdictionis, sed in his quæ sunt ordinis nihil posse. Undè hic consuetudo qua simplices Sacerdotes de mandato Episcopi reconciliabant Ecclesias pollutas improbatur tanquam corruptela. Et sic censetur sublata etiamsi sit temporis cujus initii non extet memoria in contrarium ut scripti plenè *in eod. cap. Quantò.* Rationem verò differentiæ cur ea quæ
4 sunt jurisdictionis possint inferioribus delegari ab Episcopo non autem ea quæ sunt ordinis optimè assignat gloss. *hic in ver. Jurisdictionis*, quia scilicet jurisdictio sola voluntate, & verbo committitur sive delegata fuerit, sive ordinaria & revocatur, *c. Super quæstionum*, §. *Intentioni &* §. *Porrò sup. de offic. deleg. l. Judicium, ff. de Judic.* Collatio verò Sacramentorum non confertur sola voluntate vel verbo, imò facto opus est, quia necessaria est visibilis unctio, & exterior quæ est signum interioris unctionis in corde *c. Unico, suprà de Sacr. Unct.* quæ perpetua est & amitti non potest, licet executio quandoque suspendatur *c. Quod quidam vers. Si fortè militiæ* 1. *q.* 1. Et hoc innuit Abb. Anciq. *hic n.* 1. dum dicit, licèt ea quæ sunt jurisdictionis possit Episcopus inferioribus demandare, non tamen ea quæ ossibus Episcoporum inhærent, quæ scilicet non solà voluntate aut verbo, sed per consecrationem conferuntur & Host. *n.* 3. dum reddit rationem hujus differentiæ, quia ordo inquit non per commissionem, sed per manûs impositionem transfertur, *d. c. unico suprà de Sacram. Unct. & c. fin. de Sacram. non iteran.* Hoc ipsum docuit Sanctus Thomas *in* 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. dicens potestatem Sacramentalem esse quæ per aliquam consecrationem confertur. Et hanc remanere in homine qui eam per consecrationem est adeptus quamdiù vivit; potestatem verò jurisdictionalem esse quæ ex simplici injunctione hominis confertur; & ideò non immobiliter adhæret.

5 Procedunt tamen hæc in Episcopo qui non potest ea quæ ordinis Episcopalis sunt demandare, nisi constituto in ordine Episcopali; Papa verò potest ea committere etiam inferioribus Sacerdotibus, ut de minoribus Ordinibus patet *in cap. Quoniam 69. dist. in c. Cùm contingat de ætat. & qualit. & in c. Abbates de privil. in* 6. de Sacramento Chrismatis est textus *in d. c. Pervenit* 95. *dist.* & tradunt omnes *in c. Quantò*
6 *suprà de consuet.* & dixi latè *in d. c. unico*, §. *Per frontis, suprà de Sacram. Unct.* & de reconciliatione Ecclesiæ pollutæ tradit hic Innoc. ubi dicit se ante audivisse Papam pluribus Episcopis indulsisse, ut per simplices Sacerdotes possent reconciliare Ecclesias, aquà tamen priùs per Episcopum benedictà. Verùm Clemens Papa IV. ut subdit Host. in fine hoc de facili non concedebat, nisi de Ecclesiis nondùm consecratis, de quo remittit ad id quod legitur & notatur infrà *in cap. prox.* an autem Papa possit committere non Episcopo ut conferat Ordines Sacros, dixi *in d. c. Quantò num.* 4. *de consuet.*

7 Secundò nota Episcopatum esse Ordinem, ut hic patet in verbo *Ordinis Episcopalis.* Undè secundum Host. *n.* 2. Taceant qui dicunt in Ecclesia Dei non esse nisi septem Ordines, nam & tonsura Ordo est & Episcopatus Ordo est, ut hic apertè probatur de Episcopali. De prima tonsura & de omnibus aliis probatur & notatur plenè *in c. Cùm contingat, suprà de ætat. & qualit.* Hæc est unanimis Canonistarum ferè omnium sententia, à qua tamen discrepant Theologi qui tenent primam Tonsuram & Episcopatum non esse Ordines propriè. De Tonsura scripsi latissime *in dicto capite Cùm contingat* & de Episcopatu *in capite primo de Ordinat. ab Episc.*

8 Quæro, an Episcopus possit committere Abbati Presbitero & benedicto, ut primam tonsuram & minores Ordines conferat sæcularibus ipsius Episcopi jurisdictioni subiectis.

Hanc dubitationem jam pridem sustulit Sacra Congregatio Concilii in causa Bonnonien. censuit enim Abbates postquam Ordinem Sacerdotalem & munus benedictionis susceperint, posse tonsuram & minores Ordines sæcularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat; iique pro se quisque ab eodem Episcopo litteras dimissorias impetraverint, ita ut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem Ordines conferre aliis Regularibus qui litteras dimissorias speciales suorum Superiorum nec non specialem consensum Episcopi loci habuerint, ac præterea aliis sæcularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen & ipsi attulerint speciales dimissorias suorum Ordinariorum & consensum specialem Episcopi loci.

Verùm hujus declarationis veritatem in dubium revocant
9 moderni Collectores *in c. Cùm contingat suprà de ætat. & qualit.* eamque impugnant hoc fundamento, quòd cùm Decreto Concilii Tridentini *in c.* 11. *sess.* 23. (statutum sit ut Abbatibus &c. non liceat imposterùm cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre nec litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab aliis ordinentur concedere &c. non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus) suprà dicta decisio videatur pugnare cum illis verbis Concilii (cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit) Quæ verba dicunt excludere sæculares etiam sujectos Abbatibus & in quos ipsi Abbates habent ordinariam jurisdictionem & multò magis subditos alterius habentes litteras dimissorias ad recipiendos Ordines etiam ab ipsis Abbatibus; & ob eamdem rationem dicunt prædicta verba excludere Regulares non sibi subditos, etiamsi speciales dimissorias suorum Superiorum & specialem consensum Episcopi loci obtinuerint, quia neque in hoc casu asserunt eam decisionem sustineri posse, cùm Concilium exigat ut is cui Abbas vult Ordines conferre sit Regularis sibi subditus.

Sed his non obstantibus tu adhæreas decisioni, quæ habetur in libris publicis Sac. Congregationis super *c.* 5. *sess.* 6. Undè de illius veritate ambigi non potest & refertur etiam, licèt corruptè ab Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *c.* 2. *q.* 1. & Stephan. Quarantà *in summa Bullarum*, verbo *Ordo*, vers. *Abbatibus* & quod spectat ad Decretum Concilii *in d. c.* 10. *sess* 23. Observa diligenter ad Ordines conferendos requiri duplicem potestatem, videlicet potestatem Ordinis, quæ per aliquam consecrationem confertur & potestatem juris-
10 dictionis quæ confertur simplici voluntate & verbo *c.* 2. 9. *q.* 2. *c. Nullus de Paroch.* glossa hic in verbo *jurisdictionis*; & declarat Sanctus Thomas *in* 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. Ordinis potestatem assequuntur Abbates in actu solemnis benedictionis, quia benedictio hujusmodi largo modo dicitur consecratio; & id proportionabiliter præstat Abbatibus quod consecratio Episcopis, ut dicit Butr. *in d. c. cùm contingat in* 3. *notab. n.* 6. & Felin. *in c. Inter Monasterium in princ. de re judic.* Intellige secundum ea quæ dixi *in c.* 1. *in* 2. *not. de supplen. neglig. Prælat.* Potestatem verò jurisdictionis accipiunt Abbates in actu confirmationis etiam ante susceptum munus benedictionis, *c. Nosti de elect.* glossa *in d. c.* in verbo *Substitutos.* Oldrad. *cons.* 14. *n.* 4. *& seq.* Felin. *in c. Meminimus in princ. de accusat.* utriusque potestatis fit mentio *in d. c. Quoniam 69 dist. & in d. c. Cùm contingat de ætate & qual.* de potestate Ordinis hic *dummodò de ipsis ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum manûs impositio facta nascatur*, id est fuerint solemniter benedicti, ut illic glossa & Doctores interpretantur. De potestate jurisdictionis hic *dummodò in proprio Monasterio faciendi*, id est non in extraneo, ut exponit Host. *n.* 6. in verbo *In proprio Monasterio*, glossa *in d. c. Abbates* in verbo *convolaverint de privil. in* 6. Specul. *tit. de privil. n.* 5. Ea enim verba ostendunt potestatem Ordinis, quam Abbates Presbiteri accipiunt in solemni benedictione non debere in actum exire nisi quoad Monachos sui Monasterii, adde vel quoad sæculares in quos habent Ecclesiasticam & quasi Episcopalem jurisdictionem juxta textum *in d. c. Abbates.* Potestas quidem Ordinis spectat ad validitatem Ordinationis, nam sine illa nihil confertur, *c. Presbiteris* 68. *dist.* glossa prælegata hic in verbo *jurisdictionis*, Lap. *allег.* 149. *n.* 5. cùm umbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu dicit textus *in c. Quantò suprà de consuet.* Potestas verò jurisdictionis ad essentiam Ordinationis non pertinet, sed ad illius exercitium seu executionem & legitimum usum ejus, *c.* 1. *&* 3. 70. *dist.* Quia scilicet potestas Ordinis non debet exire in actum nisi secundum quod movetur à potestate Superioris. Sanctus Thomas *ubi suprà.* Undè Abbas si sit Presbiter & benedictus ordinando sibi non subditum caracterem imprimit, sed Ordinis executionem non 11
confert, quia scilicet non deest illi potestas Ordinis, sed tantùm potestas jurisdictionis, ut post Boartin. tenet glossa penultima & Doctores *in d. c. Abbates de privil. in* 6. Archid. Turrecrem. & Præpos. *in c. Quoniam 59. dist.* Joan. Andr. & alii *in d. c. Cùm contingat suprà de ætate & qualitate.* At si Sacerdotalem Ordinem ac munus benedictionis non susceperit ordinando, nihil confert quia deest illi potestas Ordinis, *d. c. Quantò de consuet. & not. in d. cap. Cùm contingat.* Host. Joan. Andr. Butr. Abbas & cæteri omnes, Berthac. *in tractatu de Episc. lib.* 3. *part.* 2. *n.* 9. Silvest. in verbo *Ordo* 3. *sub n.* 2. vers. *Simplices verò Abbates*, Rebuff. *in praxi, tit. de Cleric. & à quib. & quom. n.* 14. Dum verò Concilium *in d. c.* 10. *sess.* 13. statuit ut Abbatibus non liceat tonsuram vel minores Ordines conferre cuiquam qui Regu- 12
laris subditus sibi non sit, ademit quidem Abbatibus autoritatem seu potestatem jurisdictionis quam habebant ad Ordines ritè & rectè conferendos respectu sæcularium etiam sibi subjectorum.

Et ita in hoc derogavit dispositioni *d. c. Abbates*, sed non. ademit aut limitavit ipsam potestatem Ordinis, quia hæc potestas tanquam indivisibilis non recipit restrictionem nec potest pro parte auferri & pro parte non, ut latissimè probavi *in c.* 1